De Romanorum legibus sumptuariïs

SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE

SCRIPSIT

J. F. HOUWING

LUGDUNI-BATAVORUM
APUD S. C. VAN DOESBURGH
MDCCCLXXXIII

DE ROMANORUM LEGIBUS SUMPTUARIIS.

LUGD.-BAT., TYPIS: L. VAN NIFTERIK HZ.

DE ROMANORUM LEGIBUS SUMPTUARIIS.

SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE,

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

P. VAN GEER,

MATH. MAG. PHIL. NAT. DOCT. ET IN FACULTATE MATH. PHYS. PROF.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN LITERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

Johannes Fredericus Houwing,

EX OPPIDO BLOKZIJL-TRANSISALANUS.

DIE XXIII M. JUNII A. MDCCCLXXXIII, HORA II.

LUGDUNI-BATAVORUM,
APUD S. C. VAN DOESBURGH.
MDCCCLXXXIII.

PARENTIBUS OPTIMIS CARISSIMIS

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VOLUIT

SCRIPTOR.

SUMMARIUM.

PROOEMIUM.

Quotquot antiquitus in Graecia et Italia exstiterunt civitates priscis temporibus regibus parebant, quorum tamen potestas non tam ampla erat, ut ex unius arbitrio penderent omnia, sed civitatis principes in senatum convenientes communibus cum rege consiliis rempublicam administrare solebant. Qui autem regiam potestatem illam adepti fuerant sine ulla procerum invidia regnum tenebant, quia neque cultu neque victu a civibus suis discrepantes, prudentia tantum et auctoritate excellebant. Procedente vero tempore, quum regni possessione satis firmata opibus plerumque et divitiis pollentes vivendi ratione splendidiore assuefacti essent, variisque voluptatibus fruentes fastu et superbia insolescerent, ex licentia in invidiam atque odium vulgi incurrebant. Itaque fere ubique conjurationes factas esse videmus, quibus reges expellerentur, regiaque potestas aboleretur. Primores civium enim, et ipsi opibus ac nobilitate freti regum, quorum pares se et aequales

ferebant, impotentiam et superbiam aequo animo pati nullo modo poterant.

At vero multum aberat ut rege exacto omnes inter se cives pari jure haberentur. Nam regno sublato summa imperii ad eos transferri iisque populus se permittere solebat, qui dum regia vigebat dominatio, una cum rege rei publicae consuluerant. Sic factum est, ut e regis dominatu in paucorum potestatem res publica perveniret. Atque initio quidem primores illi communem civium utilitatem suis commodis praeponebant, et singulari cura ac studio cuncta, tam privata quam publica, negotia administrabant. Verum ubi semel potestatem suam stabiliverant, licentiae dediti judiciis abutebantur ad suam avaritiam explendam; ex agrorum possessione tenuiores cives pellebant eorumque opes frangebant adeo ut hi, aere alieno obruti, toti optimatium auctoritati parerent. Quod si cui majus quam pro rei veritate dixisse videamur, satis erit in memoriam revocare superbam atque crudelem dominationem, quam in Creta et Lacedaemone Dores, Athenis Eupatridae, Romae patricii in ceteros cives exercuerunt.

Quum tot et tantos fructus ex rei publicae administratione consequerentur optimates, consentaneum est multum eorum interfuisse, ut praesentem rei publicae statum integrum servarent. Quaerebant igitur firmam et stabilem rerum conditionem, atque ejusmodi rempublicam, quae diversis civium studiis distrahi non posset, sed perpetua esset et immutabilis. Hoc autem proposito non externae solum civium conditionis, sed morum et ingenii quoque rationem habebant, adeo ut primum praecipuumque legislatoris munus in his fingendis informandisque versari censerent. Quo morum regimine

duo simul inpetrabant. Primum enim agendi vivendique libertate coercita facillime cives arceri poterant ab omnibus, quae a pristina disciplina eos avocarent et ad res novas moliendas excitarent. Deinde hoc consequebantur, ut imperium ad eos tantum pertinere videretur, qui propter mores et indolem digni erant, quibus summa res committeretur.

His rationibus propositis si Lycurgi instituta consideramus, facile apparebit quae causa eum impulerit, ut Cretensium exemplum secutus, summam operam impenderet in juventutem rite instituendam et ad severissimam disciplinam informandam; ut ferreos induceret nummos atque ita omnem mercaturam prohiberet; ut neque comoedias neque tragoedias Spartanis spectare permitteret; ut interdiceret civibus, ne peregre quo vellent proficiscerentur, peregrinosque ex urbe expelli juberet. Haec omnia autem, quae universa haud scio an civitati noceant magis quam prosint, impediebant certe ne mores alienos cives imitarentur.

Hisce autem institutis unusquisque videt, quantum congruat Ephororum potestas, qui inter gravissima alia hoc praesertim munus habebant, ut omnia integra et intacta servarent, quae Spartiatarum dominatui maxime prodesse putabantur. Ac primum quidem juventutis educandae cura iis mandata erat. Longum est, quemadmodum in hac re versati sint, singulatim ostendere, sed hanc muneris partem eos non parvi fecisse veterum testimonia satis docent. Fieri non potuit, quin his rebus magnam exercerent in omnibus civibus auctoritatem, quos haud secus ac pueros et juvenes ad priscos mores servandos adigebant. Unum afferamus exemplum ad illustrandum, quatenus illa cura progrederetur. Ter-

pandrum citharoedum, licet ἀρχαϊκώτερον ὄντα καὶ ἄριστον τῶν καθ' ἑαυτὸν κιθαρῳδῶν, καὶ τῶν ἡρωϊκῶν πράξεων ἐπαινέτην, multaverunt tamen lyramque ei ademptam paxillo affixerunt, ὅτι μίαν μόνην χορδὴν ἐνέτεινε περισσοτέραν, τοῦ ποικίλου τῆς φωνῆς χάριν [1]).

Ex eadem fere ratione repetita erant instituta, quibus Solon prohibere conatus est, quominus popularis, quam introduxerat, regiminis forma in licentiam abiret. Narrat enim Aristoteles [2]) eum ὀλιγαρχίαν τε καταλῦσαι λίαν ἄκρατον οὖσαν, καὶ δουλεύοντα τὸν δῆμον παῦσαι, καὶ δημοκρατίαν καταστῆσαι τὴν πάτριον, μίξαντα καλῶς τὴν πολιτείαν· εἶναι γὰρ τὴν μὲν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλὴν ὀλιγαρχικόν, τὸ δὲ τὰς ἀρχὰς αἱρετὰς ἀριστοκρατικόν, τὰ δὲ δικαστήρια δημοτικόν. Eodem redit Plutarchi testimonium, qui Areopagum eum confirmasse dicit quasi ἐπίσκοπον πάντων καὶ φύλακα τῶν νόμων atque senatum instituisse, οἰόμενο(ν) ἐπὶ δυσὶ βουλαῖς ὥςπερ ἀγκύραις ὁρμοῦσαν ἧττον ἐν σάλῳ τὴν πόλιν ἔσεσθαι, καὶ μᾶλλον ἀτρεμοῦντα τὸν δῆμον παρέξειν [3]). Ex his facile apparet in Areopago instituendo eam valuisse rationem, ut esset unde paucorum dominatio contra populi licentiam defenderetur.

Ad hoc autem consilium iis tantum patebat aditus qui Archontis munere functi essent gestique rationes reddidissent, eo nimirum consilio, ut ex iis constaret viris, qui genere, opibus et virtute conspicui, summam in reliquis civibus vim exercere possent. Illi autem Areopagitae, quorum tanta erat auctoritas, in totam civium vitam inquirere solebant, vel, ut Valerii Maximi verbis utar, „sanctissimum consilium quid

1) Plut. Inst. Lac. XVII. 2) Pol. II 12. 3) Sol. c. 19.

quisque Atheniensium ageret, aut quonam quaestu sustentaretur diligentissime inquirere solebat" [1]). Hoc propositum qua via ac ratione assequi conati sint jam uno alterove exemplo illustremus. Auctor est Athenaeus [2]) prodigos ab Areopagitis ad se vocatos esse; Demetrium quendam, qui luxusiose viveret, jussum esse vitam melius instituere; Menedemum et Asclepiadem philosophos atque juvenes et inopes interrogatos esse, unde vitam sustentarent, quum quotidie in philosophiae studiis tempus tererent. Huc etiam pertinet ἡ γραφὴ ἀργίας atque τοῦ κατεδηδοκέναι τὰ πατρῷα. Totius igitur populi virtus quodammodo in hoc consilio consistebat, atque ab ejus judicio pendebat, quo quis in civitate loco, quo honore, qua apud ceteros cives esset existimatione, ita ut jure dixisse videatur Curtius „im Areopagus war das Gewissen der Stad verkörpert; er war der Vertreter aller conservativen Interessen" [3]).

Quae quum ita sint, profecto mirum non est hanc morum censuram, in populari praesertim regimine, non diu mansisse integram. Egregie nimirum vidit Pericles hoc verae dominationis popularis esse proprium, ut suos cuique sibi fingere mores liceret, normamque conficere, ad quam agendi vivendique ratio dirigeretur. Itaque Areopagi potestatem omni ratione infringere nitebatur. Postea vero, quum Cassander reipublicae gubernationem populo ademisset ac Demetrio Phalereo, optimatium causae fautori, reipublicae ordinandae curam mandasset, ille Areopagum in integram restituit, eumque una cum Gynaeconomis morum censurae praefecit.

---

1) II. 6. 4.

2) IV. pag. 64 et 65.

3) Griech. Gesch. tom. I pag. 326.

Romanorum rempublicam in iisdem fundamentis positam fuisse effici potest ex iis, quae de magistratuum potestate apud scriptores tradita inveniuntur. Hic illud reputemus necesse est, nobilitatem Romanam non sanguine aut genere fundatam fuisse, sed ex iis constitisse qui ob gestos honores reliquos cives auctoritate superarent.

Ita legimus in Ciceronis libris de Legibus, in quibus perfectae reipublicae imaginem adumbravit „M a g i s t r a t u s n e c o b o e d i e n t e m et n o x i u m c i v e m m u l t a, v i n c l i s, v e r b e r i b u s c o e r c e t o"[1]) et apud Dionysium Halicarnassensem „*νόμον ἐκύρωσαν* (Aternius et Tarpejus consules) *ἵνα ταῖς ἀρχαῖς ἐξῇ πάσαις τοὺς ἀ κ ο σ μ ο ῦ ν τ α ς ἢ π α ρ α ν ο μ ο ῦ ν τ α ς εἰς τὴν ἑαυτῶν ἐξουσίαν ζ η μ ι ο ῦ ν*"[2]). His locis inter se comparatis primo aspectu perspicuum fit, quanta in cives dominandi potestas magistratibus concessa esset. Nam *παρανομεῖν* quid sit adeo vagum est atque ambiguum, ut facile intelligatur nihil committi potuisse, quod non sub magistratuum coercitionem caderet. Quis igitur miretur in civitate, in qua civium vivendi ratio plane a magistratuum arbitrio penderet, censuram quae olim ad civium numerum tantum facultatesque cognoscendas pertinuisset, paulatim ad morum curam relatam esse? Nam quemadmodum qui honorem petebant ante comitiorum diem nomina profiterentur, ut exploraretur num digni essent, qui aliquam reipublicae partem capesserent, consentaneum est in censu agendo eorum tantum rationem habitam esse, qui vitae morumque probassent integritatem. Si cui autem suffragium adimere vellent censores,

1) III. 3. 6. 2) X. 50.

ejus rei rationes reddere non tenebantur: rata habebatur eorum animadversio, etiamsi nihil eos testibus, nihil tabulis, nihil aliquo gravi argumento comperisse, nihil denique causa cognita statuisse constaret [1]). Ita censura, a parva origine orta, tanto deinde incremento aucta est, ut morum disciplinaeque regimen, decoris dedecorisque discrimen ab arbitrio ejus magistratus penderent et, quum initio ad ea tantum vitia coercenda pertineret, quae communi omnium saluti nocerent, procedente deinceps tempore in omnem domesticam vivendi rationem inquireret [2]).

Haec autem potestas quanti momenti fuerit nobilitati ad dominatum suum tuendum, vel me tacente facile intelligitur. Unum tamen hic exempli gratia locum afferre, quo sententia mea confirmetur, a proposito non alienum videtur. Quum Glaucia et Saturninus Gracchanas seditiones de integro accendere studerent, et, quo facilius propositum assequerentur, L. Equitium quendam Gracchi filium simularent, Caecilius Metellus censor consilium eorum eo peremit, quod insitivum illum Gracchum contra vim multitudinis incitatae censu prohibuit [3]).

Ut igitur censura facilem occasionem optimatibus praebebat in ceteros cives dominandi, sic maxime iis profuit, quod lege Ovinia jus senatus legendi in censores collatum erat. Hic autem non negligendum, summam imperii Romae specie penes magistratus, sed re vera penes senatum fuisse, unde

1) Cf. Cic. pro Cluent. 45. I25.
2) Cf. Liv. IV. 8; Dionys. XX. 13; Plut. Cat. maj. c. 16.
3) Cic. Pro. Sest. 47, 101.

sequitur magistratum, cui permissum esset quos vellet in senatum recipere, non minus quam Areopagum Atheniensium, Romanae nobilitati columen fuisse ac praesidium. Quod quo plenius ostendatur, operae pretium me facturum puto, si uno alterove exemplo illustravero, quemadmodum in senatu legendo nobilitatis causae censores inservierint. Anno 639/118, quum Gracchorum motibus sedatis optimatium potestas denuo stabilita esset, L. Caecilius Metellus, Cn. Domitius Ahenobarbus censores duos et triginta senatores senatu moverunt [1]). Hos autem non tam propter morum perversitatem motos esse, quam quod Gracchorum partes essent secuti, inde fit verisimile, quod unus ex iis C. Licinius Geta [2]) sequenti anno consul creatus est, ac paullo post ipsam censoriam potestatem impetravit. Quid, quod C. Caecilius Metellus Numidicus, anno 102/652 cum C. Caecilio Metello Caprario censor creatus, Glauciam et Saturninum senatu movisset, nisi collega eum retinuisset [3])? Diligentissime igitur semper cavebat nobilitas ne novus homo censor crearetur et, quum anno 550/204 tribunus plebis Cn. Baebius diem ad populum dixerat censoribus M. Livio Salinatori et C. Claudio Neroni, patriciorum opera ea res discussa est, ne postea obnoxia populari aurae censura esset [4]). Contra, sicut Pericles nihil habuerat antiquius, quam ut Areopagi potestatem infirmaret, sic etiam Romae populares non quieverunt, priusquam hanc censurae severitatem e civitate sustulerunt.

Hoc igitur modo eo pervenerunt nobiles ut non solum

---

1) Liv. Ep. 62. 2) Val. Max. II. 9. 9.
3) App. Bell. Civ. I. 28. 4) Liv. XXIX. 37.

facile arcerent, quae a more majorum cives avocarent et ad rerum novarum studium excitarent, sed etiam impedirent, quominus ipsi, a pristina virtute deflectentes, suam apud populum existimationem atque auctoritatem amitterent. Vix autem ullum invenias malum, quod perniciosius sit paucorum regimini quam luxus, idque triplici potissimum de causa. Primum enim, ut Montesquivii verbis utar „l'aristocratie a ce malheur, que les nobles y ont des richesses, et que cependant ils ne doivent pas dépenser: le luxe contraire à l'esprit de modération, en doit être banni" [1]). Quo lautius vivunt nobiles, quoque effusius luxuriae indulgent, eo magis a vulgo hominum segregantur longiusque progrediuntur superbiae. Unde fit, ut tandem omni moderatione neglecta, reliquorum civium oppressione, non suis ipsorum virtutibus dominatum obtinere studeant. Tum vero metuendum est, ne eveniat quod his verbis describit Polybius: „*ἐπειδὰν γάρ τις συνθεασάμενος τὸν φθόνον καὶ τὸ μῖσος κατ' αὐτῶν τὸ παρὰ τοῖς πολίταις ὑπάρχον, κἄπειτα θαρρήσῃ λέγειν ἢ πράττειν τι κατὰ τῶν προεστώτων, πᾶν ἕτοιμον καὶ συνεργὸν λαμβάνει τὸ πλῆθος. λοιπὸν οὓς μὲν φονεύσαντες, οὓς δὲ φυγαδεύσαντες .... τὴν μὲν πολιτείαν ἐξ ὀλιγαρχικῆς δημοκρατίαν ἐποίησαν*" [2]).

Quae quum ita sint, facile intelligitur, cur apud veteres, tam Graecos, quam Romanos institutum esset, ut primores ex civitate sive aedificandis publicis monumentis sive magistratibus sumptuosis gerendis divitias suas consumerent. Praeclare enim videbant hoc esse positum in humana natura, ut qui divitiis abundent, aliis praefulgere studeant. Ne igitur vanae

---

1) Esprit des Lois VII, 3.

2) VI, 9 (Hultsch).

gloriae ostentatio fieret, sibi parci esse voluerunt ac pauperes, reipublicae vero prodigi et divites, quum privatam luxuriam odissent, publicam magnificentiam diligerent. Illud praeterea in optimatium dominatione prae ceteris omnibus maxime servari debet, ut junctis viribus concordique inter se animo communibus rationibus et utilitatibus consulant. Singulis igitur nobilibus semper caveant necesse est, ne invicem sibi invideant neve suam quisque conditionem prae aequalium suorum conditione efferant. Huic autem rationi quam contraria sit luxuries, vix opus est monere. Tertium hoc est, quod singulorum nobilium virtus et praestantia firmissimum est huic regimini praesidium. Illi autem, quo magis luxui indulgent, eo minus virtuti student. Etenim haec luxuriae cum virtute ratio intercedit, ut si utraque in librae lancibus posita fingatur, quantum altera sursum evehatur, tantum altera fere deorsum vergere soleat. Unde fit, ut singulis luxuriae deditis, a pristino sensim vigore universa nobilitas decidat, utque mox magis magisque debilitata, impedire non possit, quominus populus, optimatium potestatem aegre ferens summam rerum ad se transferat. Quod ut verissime dictum appareat, comparentur Arist. Pol. V. cap. 6 et 7, ubi pericula ostenduntur, quibus tam multorum quam paucorum regimen obnoxium est.

Neque aliud damnum omittendum, quod ex luxuria in optimatium dominatum redundare potest. Fieri enim solet, ut existant inter optimates qui, quum bonis suis dilapidatis aere alieno obruantur, rerum novarum cupidi ceteris invideant et insidientur. Quid enim, ut hoc utar exemplo, impulit Catilinam ut rem publicam evertere aggrederetur?

„Luxuria primum, tum hinc conflata rei familiaris egestas" [1]). Sic inter causas, quae Caesarem ad turbanda omnia ac permiscenda impulerunt, etiam hanc fuisse putat Suetonius, quod neque opera consummare quae instituisset, neque populi exspectationem, quam de adventu suo fecisset, privatis opibus explere posset [2]).

Quae quum ita sint, non est mirandum quod in civitatibus paucorum imperio subjectis id praecipue egerunt legislatores, ut luxum omni opera impugnarent. Sic Lycurgus, ut supra monuimus, ferreorum induxit nummorum usum, quo facilius, opinor, mercaturam prohiberet, atque ita *ἀπερημωθεῖσα κατὰ μικρὸν ἡ τρυφὴ τῶν ζωπυρούντων καὶ τρεφόντων, αὐτὴ δι' αὐτῆς μαραίν(οιτο)* [3]). Cives porro communiter coenare jussit, et certis cibis obsoniisque uti, *οἴκοι δὲ μὴ διαιτᾶσθαι κατακλιθέντας εἰς στρωμνὰς πολυτελεῖς καὶ τραπέζας, ἐν χερσὶ δημιουργῶν καὶ μαγείρων ὑπὸ σκότος, ὥσπερ ἀδηφάγα ζῷα, πιαινομένους καὶ διαφθείροντας ἅμα τοῖς ἤθεσι τὰ σώματα, πρὸς πᾶσαν ἐπιθυμίαν ἀνειμένα καὶ πλησμονὴν, μακρῶν μὲν ὕπνων, θερμῶν δὲ λουτρῶν, πολλῆς δὲ ἡσυχίας καὶ τρόπον τινὰ νοσηλείας καθημερινῆς δεομένην* [4]). Praescriptum erat ut *οἰκία πᾶσα τὴν μὲν ὀροφὴν ἀπὸ πελέκεως εἰργασμένην ἔχῃ τὰς δὲ θύρας ἀπὸ πρίονος μόνου καὶ μηδενὸς τῶν ἄλλων ἐργαλείων* [5]). Ad rem vestiariam quod attinet, „juvenibus non amplius una veste uti toto anno permissum nec quemquam cultius quam alterum progredi, ne imitatio in luxuriam verteretur" [6]). Moris erat praeterea pueros

---

1) Florus IV, c. 1.
2) Caes. c. 30.
3) Plut. Lyc. c. 9.
4) Ibid. c. 10.
5) Ibid. c. 13.
6) Just. III. 3. Cf. Arist. Pol. IV. 9.

puberes non in forum sed in agrum deducere, eo scilicet nomine, „ut illi primos annos non in luxuria sed in opere et laboribus agerent“ [1]). Ephoris quoque mandatum esse ut luxuriam omni ratione coercerent, et ex iis quae supra de eorum munere exposuimus et exemplis ex scriptoribus petitis apparet [2]). Ut autem mollitiae et luxuriae ab iis repressae exempla adsunt, sic divitiarum, quae talibus vitiis propagandis et augendis imprimis favere solent, usu civibus et peregrinis, Spartae degentibus, quantum fieri poterat, interdixerunt. Similia autem praecepta apud Cretenses exstitisse et aliunde satis constat et conficere licet ex loco Platonis ubi de illarum legum consilio haec proferuntur „Ὑμῖν γὰρ ὁ νομοθέτης μόνοις Ἑλλήνων καὶ βαρβάρων, ὧν ἡμεῖς πυνθανόμεθα, τῶν μεγίστων ἡδονῶν καὶ παιδιῶν ἐπέταξεν ἀπέχεσθαι καὶ μὴ γεύεσθαι, τὸ δὲ τῶν λυπῶν καὶ φόβων..... ἡγήσατο εἴ τις ἐκ παίδων φεύξεται διὰ τέλους, ὁπόταν εἰς ἀναγκαίους ἔλθῃ πόνους καὶ φόβους καὶ λύπας, φεύξεσθαι τούς ἐν ἐκείνοις γεγυμνασμένους καὶ δουλεύσειν αὐτοῖς“ [3]).

In Atheniensium re publica vidimus supra quantopere caveret Solon ne in nimiam licentiam popularis dominatio proruerei. Hoc et alia ratione impedire studuit et ferendo leges, quibus luxuriae modus imponeretur. Etenim, quum nimis sumptuosa fieri funera coepissent, Solonis lege sublata sunt [4]), qua lege inter alia interdictum erat ne plus una bove immolaretur. Statuit praeterea, si Diogeni Laertio fides

---

1) Just. ibid. 2) Cf. e. g. Athen, IV. 65. XII. 74.

3) De legg. 1 p. 635.

4) Cic. de legg. II, 25. 64 cf. Plut. Solon. c. 21.

habenda est, ut, si quis patrimonium comedisset, infamia notaretur [1]).

Haec mihi obiter praemonenda videbantur de ratione, quae in luxuria coercenda in antiquis civitatibus valuit, ut aditus ad Romanorum leges sumptuarias muniretur. Accedamus jam ad primarium propositum ut, quemadmodum Romana nobilitas hoc dominatus praesidio usa sit indagemus et illustremus.

1) Solon. c. 7.

CAPUT I.

De sumptuariis, quae apud Romanos viguere, legibus disputaturus quum cogitarem, quae tandem optima esset ratio materiae tractandae et digerendae, nihil magis idoneum visum est, quam primum inquirere, num qua in antiquissimis legibus inveniantur ad luxuriam coercendam pertinentia; deinde quae censorum in hac re partes fuerint ostendere; postremum de ipsis legibus sumptuariis disserere.

Apud Romanos pro antiquissimis legislationis monumentis leges regias habitas esse constat. Sitne probanda opinio, leges illas a regibus quibusdam certis temporibus proditas esse necne, non est hujus loci disputare; tamen, ne quid omittere videar, commemorandum censeo Rubino [1]) Schwegler [2]) Lange [3]) Teuffel [4]) Dirksenii vestigia secutos, haec praescripta, quibus legum vim denegant, pro institutis habere ex jure consuetu-

1) Unters. über röm. Verfassung pag. 408 seqq.

2) Röm. Gesch. I pag. 25.

3) R. A. I pag. 314.

4) Röm. Litteratur § 70.

dinis ortis, quod jus, regum tempore natum, postea demum scripto mandatum sit; Petersen [1]) contra et Gerlach [2]) ac Zumpt [3]) et praesertim Moritz Voigt eas genuinas esse contenderunt, quorum hic in libello, recepto in „Abhandlungen der Königlichen Sächsischen Gesellschaft der Wissenschaften" [4]), ea protulisse mihi videtur argumenta, quae accurata consideratione dignissima sunt.

Sed utcunque res haec sese habet: „die Frage betreffs der Natur und historischen Stellung der leges regiae kann niemals zu einem Zweifel an deren Existenz oder Geltung führen: denn die vollgültigsten Zeugnisse schliessen allen Zweifel darüber aus, dass geschriebene Satzungen existirten, welche, in die Ausdrucksform von Leges gekleidet, als regiae leges anerkannt wie angewendet wurden" [5]). Sunt porro inter praescripta illa, quae attinent ad aetatem, quae praecedit tempori illi, quo XII sunt compositae [6]).

Haec mihi commemoranda videbantur ut ostenderem, me brevitatis tantum causa leges, quas in questionem vocavi, cum regibus, sub quorum nomine circumferuntur, conjunxisse; ceterum, etiamsi reges illi ad fabulosam vetustatem pertineant, tamen nihil obstat quominus ita faciamus, dum modo ne de ipsa regum dominatione dubitemus, „denn Minos wie Theseus sind in der That mythische Personen, und gleichwohl

---

1) De Orig. hist. Rom. pag. 11 seqq.

2) Geschichtschreiber der Römer pag. 10 seqq. (Cf. Historische Studiën III 164 seqq. 247 seqq.).

3) Crim. Recht I 1. pag. 26 seqq.

4) Philol. Histor. Classe VII pag. 805—822.

5) Voigt l. l. pag. 806.

6) Cf. Voigt l. l. pag. 811.

ist die historische Existenz der auf die selben zurück geführten Gesetzen und Instutitionen unbestreitbar" [1]).

Jam Romulum igitur intellexisse patricios, quo magis se morum integritate corporisque fortitudine commendarent, eo facilius plebei dominaturos, haud dubitanter affirmaverim, quum Dionysius Halicarnassensis „Ὁρῶν γὰρ" inquit „ὅτι τὸ ζωφρόνως ζῆν ἅπαντας καὶ τὰ δίκαια πρὸ τῶν κερδαλέων αἱρεῖσθαι καρτερίαν τε τὴν πρὸς τοὺς πόνους ἀσκεῖν καὶ μηδὲν ὑπολαμβάνειν χρῆμα τιμιώτερον ἀρετῆς οὐ λόγων διδαχῇ παραγίνεσθαι τοῖς πολιτικοῖς πλήθεσι πέφυκεν, ἐν οἷς τὸ πλεῖόν ἐστι δυσάγωγον, ἀλλ' ἔργων ἐθισμοῖς τῶν πρὸς ἑκάστην ἀρετὴν ἀγόντων, ὑπ' ἀνάγκης τε μᾶλλον ἢ κατὰ γνώμην ἐπ' αὐτὰ τοὺς πολλοὺς παραγινομένους, εἰ δὲ μηδὲν εἴη τὸ κωλῦσον ἐπὶ τὴν φύσιν ὀλισθαίνοντας εἰδὼς, ἐπιδιφρίους μὲν καὶ βαναύσους καὶ προσαγωγοὺς ἐπιθυμιῶν αἰσχρῶν τέχνας, ὡς ἀφανιζούσας καὶ λυμαινομένας τά τε σώματα καὶ τὰς ψυχὰς τῶν μεταχειριζομένων, δούλοις καὶ ξένοις ἀπέδωκε μεθοδεύειν" [2]). Etenim, ut haec ita ordinaret, eandem apud Romulum rationem valuisse arbitror, quam apud Lycurgum, de quo Plutarchus in vita Solonis [3]): „Τῷ μὲν γὰρ Λυκούργῳ καὶ πόλιν οἰκοῦντι καθαρὰν ὄχλου ξενικοῦ καὶ χώραν κεκτημένῳ „πολλοῖσι πολλὴν, δὶς τοσοῖσδε πλείονα" κατ' Εὐριπίδην καὶ, τὸ μέγιστον εἱλωτικοῦ πλήθους, ὃ βέλτιστον ἦν μὴ σχολάζειν, ἀλλὰ τριβόμενον ἀεὶ καὶ πονοῦν ταπεινοῦσθαι, περικεχυμένου τῇ Λακεδαίμονι, καλῶς εἶχεν ἀσχολιῶν ἐπιπόνων καὶ βαναύσων ἀπαλλάξαντα τοὺς πολίτας συνέχειν ἐν τοῖς ὅπλοις, μίαν τέχνην ταύτην ἐκμανθάνοντας καὶ ἀσκοῦντας." Ex eadem ni fallor ratione ductum erat quod in Aegypto et Creta lege erat constitutum διηρῆσθαι

---

1) Voigt l. l. pag. 807. 2) II. 28. 3) Cap. 22.

χωρὶς κατὰ γένη τὴν πόλιν, καὶ τό τε μάχιμον ἕτερον εἶναι καὶ τὸ γεωργῶν[1]), et quod dixit Herodotus „*καί Θρήικας καὶ Σκύθας καὶ Πέρσας καὶ Λυδοὺς καὶ σχεδὸν πάντας τοὺς βαρβάρους, ἀποτιμοτέρους τῶν ἄλλων ἡγημένους πολιητέων τοὺς τὰς τέχνας μανθάνοντας καὶ τοὺς ἐκγόνους τούτων, τοὺς δ' ἀπηλλαγμένους τῶν χειρωναξιέων γενναίους νομίζοντας εἶναι, καὶ μάλιστα τούς ἐς τὸν πόλεμον ἀνειμένους*" [2]). Contra Corinthi, in civitate, quae populi potestate regebatur, magno in honore erant opifices. Addit enim Herodotus: „*μεμαθήκασι δ' ὦν τοῦτο πάντες οἱ Ἕλληνες, καὶ μάλιστα Λακεδαιμόνιοι, ἥκιστα δὲ Κορίνθιοι ὄνονται τούς χειροτέχνας.*"

Eodem pertinere existimo legem illam, qua interdixit Romulus ne mulieres vino uterentur; refert enim Dionysius Halicarnassensis: „*Ἁμαρτάνουσα δέ τι δικαστὴν τὸν ἀδικούμενον ἐλάμβανε καὶ τοῦ μεγέθους τῆς τιμωρίας κύριον. ταῦτα δὲ οἱ συγγενεῖς μετὰ τοῦ ἀνδρὸς ἐδίκαζον· ἐν οἷς ἦν φθορὰ σώματος καί, ὃ πάντων ἐλάχιστον ἁμαρτημάτων Ἕλλησι δόξειεν ἂν ὑπάρχειν, εἴ τις οἶνον εὑρεθείη πιοῦσα γυνή. ἀμφότερα γὰρ ταῦτα θανάτῳ ζημιοῦν συνεχώρησεν ὁ Ῥωμύλος, ὡς ἁμαρτημάτων γυναικείων ἔσχατα, φθορὰν μὲν ἀπανοίας ἀρχὴν νομίσας, μέθην δὲ φθορᾶς*" [3]). Quae Dionysii verba simul ostendunt, ad sumptuarias hanc legem minus recte referri, quippe quarum peculiare propositum sit, ut nimii sumtus arceantur. Mulierum autem vivendi rationem admodum semper curae fuisse nobilibus, et infra plenius demonstrabo et hoc loco ostendam exemplo ex Athenaeo petito. Phylarchus enim apud Athenaeum affirmat „*ὅτι παρὰ Συρακοσίοις νόμος ἦν τὰς γυναῖκας*

1) Arist. Pol. III. 10. 2) II. 167.
3) II. 25.

μὴ κοσμεῖσθαι χρυσῷ, μηδ' ἀνθινὰ φορεῖν, μηδ' ἐσθῆτας ἔχειν πορφυρᾶς ἐχούσας παρυφάς, ἐὰν μή τις αὐτῶν συγχωρῇ ἑταίρα εἶναι κοινή" [1]).

Etsi vero constat Romulo cordi fuisse, ut illos, penes quos summa imperii erat, omni ratione ad virtutem informaret, injuria tamen Boxman sumptuarias eum leges sanxisse statuit. Etenim „sicut ante morbos necesse est cognitos esse, quam remedia eorum, sic cupidates prius natae sunt quam leges, quae iis modum facerent" [2]). Luxuriosos autem jam tunc Romanorum fuisse mores verisimile non est, etiamsi hoc concedendum videtur, nonnullos nobiles jam opibus quodammodo inter ceteros cives eminuisse, quae opes in agris et pecore positae fuisse putandae sunt. Luxuria autem nisi cum mercatura fere nulla esse solet in eo praesertim populo ubi artificia nondum magnos fecerant progressus. Commercium enim paullo celebrius sine mercium permutatione extare nullo modo potest. Romae autem alienae merces pecudibus tantummodo compensari potuerunt usque ad Servii Tullii aetatem, quo regnante demum signatum aes introductum est [3]). Huic pecuniae plane congrua atque commercio non minus molesta erat emendi vendendique ratio satis incommoda, quippe quae per mancipationem tantum, id est per traditionem de manu in manum perfici posset. Itaque etiam multo post Romae eosdem homines agricolas atque mercatores fuisse videmus; unde sponte sequitur, si quid video, mercaturam ad ea tantum acquirenda pertinuisse, quibus agriculturae opus esset.

1) XII. 20. 2) Cato apud Liv. XXXIV. 4.
3) Cf. Mommsen, Gesch. des Röm. Münzwesen pag. 169—176.

Sed plura accedunt. Ac primum quidem quum luxus apud rudes agrestesque populos ea ratio esse soleat, ut in mortuorum cultu primum se ostendat, atque inde in communem hominum vitam transferatur, nulla omnino sepulcrorum monumenta illo tempore Romae fuisse satis constat. Quod in Etruria longe aliter se habuisse reliquiae, nostra aetate repertae, satis demonstrant. Deinde scriptores atque poetae ita illam aetatem repraesentarunt, ut de simplicitate ejus non dubitare viderentur. Postremum multa exstant veterum testimonia, quibus diserte confirmatur vitium illud multo post Romam invasisse. Quae quum ita sint, rationibus omnibus subductis vere statuere posse mihi videor, errasse viros doctos qui putarunt, unam alteramve ex Numae legibus ad luxuriam coercendam pertinuisse: Boxman [1]) dico et Pennink [2]). Accedit quod Numa quum leges civitati scriberet non tam ad publicam ejus rationem respexisse videtur, quam ad hoc ut „animos ardentes consuetudine et cupiditate bellandi religionum caerimoniis mitigaret [3]).

Haec autem consideratio dici vix potest, quantopere ad Numae instituta explicanda valeat. Sic lex illa qua constituit, ut pisces qui squamosi non essent, ni pollucerent [4]), non ad luxuriam pertinuit, sed religiosa quaedam prohibitio fuit, quod pisces non squamosos minus gratos esse diis crederet. Quod quum res ipsa ferre videatur et per se satis perspicuum sit, tum confirmatur a Festo, cujus verba haec sunt (253 A): „pollucere merces (quas cuivis deo liceat) sunt far....

1) De leg. Roman. sumpt. pag. 20 seqq.

2) De luxu et legg. sumpt. pag. 21.

3) Cic. de Rep. II. 14. 26. Cf. de Legg. II. 10. 23; 12. 29; Tacit. Ann. III. 26.

4) Cassius Hemina apud Plin. H. N. XXXII 2, 4.

pisces quibus est squama, praeter scarum." Pisces non squamosos olim ad religionum caerimonias minus idoneos semper habitos esse, affirmare ausim hoc quoque argumento, quod Judaeis lege erat interdictum, ne iis tamquam impuris vescerentur [1]).

Legimus porro apud Plinium: „Numae regis Posthumia [2]) lex est, vino rogum ne respargito; quod sanxisse eum propter inopiam rei nemo dubitet" [3]). Boxman et Pennink hanc quoque legem inter sumptuarias rettulerunt. Lipsius vero et, qui eum secutus est, Scaliger, non adeo politicam quam convivalem legem fuisse contendunt. Quorum sententiam non ideo protuli ut sequerer, sed potius ut osten-

1) Deut. XIV. 9. Lev. VIII. 9. Illa legum regiarum praescripta, quae Numa dedisse dicitur, solum deorum cultum spectare, contendit etiam Voigt, cujus verba haec sunt l. l. pag. 560: „Beide somit Verordnungen, die zu der grossen Classe von Vorschriften über die Beschaffenheit der Opfergabe gehören, und welche selbst bald die Ausschliessung gewisser Producte von den Opfern im Algemeinen, bald das Verbot oder Gebot der Darbringung gewisser Opfergaben an bestimmte Götter aussprechen." Voigt, ut hanc sententiam probet, praeter Festi locum supra laudatum etiam ad partes vocat Cic. de Legg. II. 8. 19: certasque fruges certasque boves libanto certis sacrificiis ac diebus; 20: sacerdotes.... quae cuique divo decorae grataeque sint hostiae providento.

2) Controversiam de hoc verbo natam ita dirimere studuit Voigt, (l. l. pag. 567) ut pro postumia rescribi juberet postumus, provocans ad Apul. Met. II. 30 „coenam, quam postuma diligentia praeparaverat infelix anus." Itaque sic statuendum putat „dass in der von Plinius benutzten Vorquelle (Cato, Varro, Verrius Flaccus, Fabius Pictor, L. Piso,) jene lex als postuma Numae bezeichnet, und damit in breviloquenter Weise besagt war, es falle jene lex zwar in die Zeit nach Numa, allein es verfolge dieselbe die von dessen Sacralordnungen vertretene allgemeine Tendenz, den Aufwand für rituelle Acte zu mindern." Hanc legem igitur eandem fuisse contendit atque illam XII tabularum qua nimis sumptuosae respersioni modus est impositus. Quam opinionem jam ante Voigt protulerat Schöll. (XII tab. reliq.)

3) N. H. XIV. 12.

derem, jam olim de hujus legis consilio fuisse controversiam. Ad me autem quod attinet, eadem, quam supra exposui causa movet me, ut existimem longe aliud quid Numam hac lege facienda spectasse. Quid autem ejus fuerit consilium, jam sequitur ut explicemus.

Plutarchus Numam ad Pythagoraeorum similitudinem multa praescripta dedisse asseverat, quorum arcanum fuerit consilium: „*οἷον τὸ μὴ σπένδειν θεοῖς ἐξ ἀμπέλων ἀτμήτων, μηδὲ θύειν ἄτερ ἀλφίτων· κ. τ. λ. .... Τὰ μὲν οὖν πρῶτα δύο γῆς ἐξημέρωσιν ἔοικε διδάσκειν*" [1]). Similiter Plinius: „Numae regis Posthumia lex est: vino rogum ne respargito. Quod sanxisse illum propter inopiam rei nemo dubitet. Eadem lege ex imputata vite libari vina diis nefas statuit, ratione excogitata ut putare cogerentur alias aratores et pigri circa pericula arbusti" [2]). His locis inter se collatis haud procul mihi videor a vero abesse, si statuam ad vitis culturam juvandam Numam hoc praescriptum dedisse. Nam magno jam tum vinum Romanum pretio fuisse, uberesque fructus ex vini cultura incolas percepisse et aliunde [3]), et ex narratiuncula a Plinio relata apparet. Tradit enim Plinius auctore Varrone, Mezentium, Etruriae regem, auxilium Rutulis contra Latinos tulisse vini mercede, quod tum in Latino agro fuisset [4]). Quo magis pateat, quam vim in illorum temporum legislatione vini cultura habuerit, hic in memoriam revocare lubet, quod lex XII tab. tignum furtivum aedibus ac vineis junctum neque solvere neque vindicare permisit [5]). Quae lex quantum valeat ad nostram

---

1) Numa cap. 14. 2) l. l.
3) Vide Mommsen, R. G. I. pag. 186. 187.
4) N. H. XIV. 88. 5) Lex 1 pr. D. XLVII. 3 cf. Fest. L. 364.

conjecturam confirmandam, unusquisque vel tacite mihi concedet.

Non sunt ergo sumptuariae leges, quae sub Numae nomine circumferuntur. Forsitan aliquis mihi objiciat verba Ciceronis, quae cum hac opinione minime videantur congruere. Cicero enim „sacrorum autem ipsorum diligentiam" inquit „difficilem, apparatum perfacilem esse voluit (Numa), nam quae perdiscenda quaeque observanda essent multa constituit, sed ea sine impensa. Sic religionibus colendis operam addidit, sumptum removit" [1]). Sed haec nihil, si quid video, efficiunt ad minuendam nostrae opinionis probabilitatem, modo illud probe teneatur, Ciceronem, quum haec scriberet, id solum egisse, ut ostenderet, quomodo talis rei instituenda esset ratio.

Quod modo diximus, prae rudibus ac simplicibus moribus verisimile non esse, a regibus contra luxuriam leges esse factas, id non minus cadere videtur in illam aetatem, qua Decemviri duodecim tabularum leges scripserunt. Et tamen sunt in illis tabulis leges, quas sumptuariarum quandam speciem prae se ferre confiteamur necesse est. Verum ne temere vagetur disputatio nostra, paucis deinceps videamur de singulis legibus, quae huc pertinent.

HOC PLUS NE FACITO: ROGUM ASCIA NE POLITO [2]).

Hujus legis sententia perspicua est. Rogi, rudes olim lignorum strues, mox in arae formam constructi, dolabris poliri ac laevigari coepti sunt. Quod frustra hac lege prohibere conati sunt decemviri, nam teste Plinio non solum laevigati, sed etiam picti rogi postea in usu erant.

---

1) De Rep. II 14. 36.

2) Cic. de legg. II 23 seqq. In his legibus recensendis secutus sum Bruns Font. Jur. Rom. Anti. (1881).

Cicero (de legg. II. 23): Extenuato igitur sumptu, tribus riciniis et tunicula purpurae et decem tibicinibus, tollit etiam lamentationem.

De riciniis apud scriptores haec invenimus: Festus p. 274 M.: „Ricinium omne quadratum vestimentum. hi, qui XII interpretati sunt, esse dixerunt vir(ilem) togam, qua mulieres utebantur praetextam clavo purpureo." Quae verba Lipsius emendavit in hunc modum [1]): „Ricinium omne quadratum vestimentum ii qui XII interpretati sunt esse dixerunt. Verrius cet." Nonius pag. 542. „Ricinum quod nunc mafurtium dicitur, palleolum femineum breve." Varro de vita P. R. l. I. „ex quo mulieres in adversis rebus ac luctibus, cum omnem vestitum delicatiorem ponunt, ricinia sumunt."

Pro verbis Ciceronis vinclis purpurae Bruns, quem secutus sum, scripsit tunicula purpurae. Schöll emendavit [2]) „tribus riciniis relictis et uno clavo purpurae." Sed ablativum „tribus riciniis" satis explicavit Bake qui simul ad I. 21. 54 plura ejusdemmodi ablativi exempla attulit. Alteri emendationis parti vereor ne obstent Varronis et Festi verba supra laudata. Quorum autem si nulla ratio habenda esset, equidem cum Davisio [3]) legerem: riciniis clavatis purpurae. Sic etiam Festus: „Clavata dicuntur vestimenta clavis intertexta."

Lex autem non jubebat, ut tres tantum mulieres indutae riciniis in funere essent, quod perperam voluerunt Raevardus [4]) et Gutherius [5]), sed ut tria tantum ricinia et una tunicula purpurea cum mortuo urerentur aut humarentur [6]).

MULIERES GENAS NE RADUNTO, NEVE LESSUM FUNERIS ERGO HABENTO.

Expressa sunt haec de Graecis Solonis, ut sunt apud Plut. cap. 21. „τὸ θρη-

---

1) Ep. Quaest. I. 7.

2) Legis XII tab. reliq. pag. 56.

3) Cf. Dirksen, Uebersicht der bisherigen Versuche zur Kritik und Herstellung des Textes der Zwölf Tafel Fragmente pag. 667.

4) Ad XII Tab.

5) De Jure Manium in Graevii Thes. Ant. Rom. XII pag. 1126 seqq.

6) Vide Lipsium Ep. Quaest. l. 1.

νεῖν πεποιημένα καὶ τὸ κωκύειν," Cf. Cic. de legg. II 25. 64: „nam de tribus riciniis et pleraque illa Solonis sunt: de lamentis vero expressa verbis sunt: mulieres cet." De sententia cf. Cicero II 23. 59: „Hoc veteres interpretes Sext. Aelius, L. Acilius non satis se intelligere dixerunt, sed suspicari vestimenti aliquod genus funebris: L. Aelius, lessum quasi lugubrem ejulationem, ut vox ipsa significat." Eodem redeunt ejusdem verba Tusc. II. 23. 56." Ingemiscere non numquam viro concessum est idque raro; ejulatus ne mulieri quidem et hic nimirum est fletus quem XII tabulae in funerubius adhiberi vetuerunt." Plin. H. N. XI 58 157. „Infra oculos malae homini tantum, quas prisci genas vocabant, XII tabularum interdicto radi a feminis vetantes." Festus. P. 273 M. „Radere g(enas vetitum est in) lege XII, id est unguibus (lacerare malas)" [1]). Servius ad Aen. XII 606 „. . . . tamen sciendum cautum esse lege XII tabularum, ne mulieres carperent faciem."

HOMINI MORTUO NE OSSA LEGITO, QUO POST FUNUS FACIAT.

Raevardus, multum interesse arbitratus inter ossa hominis legere et ossa homini legere, cautum esse lege putat, ne cadaveribus eximerentur ossa quaedam, cum praesertim sit apud Festum voce membrum. »Membrum abscindi mortuo dicebatur, cum digitus ejus decidebatur, ad quod servatum justa fierent, reliquo corpore combusto." Aliter Huschke.: „Das richtige ist quor d. h. quorum. Die Decemvirn wollten nicht, dass gegen das Sacralrecht den Bestanttheilen des Leibes die Ehre der Persönlichkeit (im Haupt) erwiesen werden" [2]). Equidem Raevardi interpretationem Huschkianae praeferam, adductus verbis Zoëgae [3]): „Ex utroque loco (Ciceronis et Festi) recte collegit Kirchmannus (de Fun. III. c. 7) apud priscos Latinos moris fuisse, cadaveris partem quasi doloris lenimem servare, ad quam post tempus aliquod funus instaurarent. Quae res barbarorum ritibus modo memoratis admodum affinis videtur. Hoc vetuit lex cet." Proinde admodum assentior Schöll huc transponenti verba credo quod erat factitatum ut uni plura fierent, lectique plures sternerentur, idque ne fieret lege sanctum est, quae verba in editionibus post impositam jubet leguntur [4]).

a. Cicero l. l. Haec praeterea sunt in legibus: servilis

1) Supplevit O. Mueller. 2) Zeitsch. f. Rechtsg. XI pag. 139.
3) De Obiliscis IV. 1. 13. pag. 270. 4) Pag. 54.

unctura tollitur, omnisque circumpotatio; ne sumptuosa respersio, ne longae coronae nec acerrae; praetereantur. *b.* **Fest. pag. 158 M. „Murata potione usos antiquos, indicio est, quod .... XII tab. cavetur, ... ne mortuo indatur.**

Nemini credo dubium esse potest, quid sit servilis unctura. Fuere tamen, qui huc traxerint Solónis legem, *δοῦλον ξηραλοιφεῖν* prohibentem, ut inde colligerent, hoc voluisse decemviros, ne servis unguendi honor tribueretur. Quorum opinionem ita optime facillimeque me redarguere posse confido, si Plutarchi locum, huc spectantem, ad verbum descripsero. Plutarchus igitur: „*Ὅτι δὲ πρὸς τοὺς καλοὺς οὐκ ἦν ἐχυρὸς ὁ Σόλων οὐδ' ἔρωτι θαρραλέος ἀντανασῆναι, ἐκ τε τῶν ποιημάτων αὐτοῦ λαβεῖν ἔστι καὶ, νόμον ἔγραψε διαγορεύοντα δοῦλον μὴ ξηραλοιφεῖν μηδὲ παιδεραστεῖν, εἰς τὴν τῶν καλῶν μερίδα καὶ σεμνῶν ἐπιτηδευμάτων τιθέμενος το πρᾶγμα, καὶ τρόπον τινὰ τοὺς ἀξίους προκαλούμενος, ὧν τοὺς ἀναξίους ἀπήλαυνεν*" [1]). Quid his cum mortuorum unctura sit commune, equidem nullus video. Melius autem hanc legem interpretatus est Huschke, qui simul legendum censet circumportatio; nam „das Gesetz verbot das kostspielige Salben des Leichnams durch (dazu gemiethete) Sclaven, die pollinctores, und alles vorherige Herumtragen z. b. bei Verwandten oder auf öffentlichen Plätzen, die nicht auf dem Wege lagen" [2]). Hanc emendationem libenter sequor, et propter causam ab Huschke allatam, et quia sic censeo, haec praescripta non adeo ad sumtus coercendos, quam ad ostentationem minuendam pertinuisse.

„Unter den longae coronae sind, wie schon Turnebus gezeigt hat, lange zum Einschliessen des Grabhügels bestimmte Kränze etwa aus Cypressen oder Laubgewinden zu verstehen, während die acerrae zum sofortigen opfern von Weihrauch unmittelbar nach dem Begräbniss dienen sollten." Huschke Cf. Ovidius, Fast. IV. 737:

Frondibus et fixis decorentur ovilia ramis.
Et tegat ornatas longa corona fores,

Festus p. 18 M. „Acerra ara, quae ante mortuum poni solebat, in qua odores incendebant."

---

1) Sol. c. 1. 2) l. l.

QUI CORONAM PARIT IPSE PECUNIAVE EJUS (HONORIS) VIRTUTISVE ERGO DUITUR EI; (AST EI PARENTIVE EJUS MORTUO DOMI FORISVE IMPONETUR, SE FRAUDE ESTO).

Verba uncis inclusa a Mommsen suppleta sunt, qui de hac lege: „so ungefähr" inquit[1]), „ist diese von Schöll in seiner Ausgabe[2]) nicht richtig behandelte Stelle nach Plinius H. N. XXI. 3. 7 und Cic. de legg. II 24, 60 herzustellen. Die erste Hälfte geht auf die Spiele, wobei auch die Sclaven und Pferde den Kranz gewinnen können; die zweite auf den Krieg. Dass die von dem Sohn in der Gewalt gewonnene Auszeichnung dem Gewalthaber zukommt wird von beiden Berichterstattern angedeutet und folgt auch analogisch aus Plin. XVI. 4. 3; wogegen unmöglich met Schöll angenommen werden kann, dass der vom Vater gewonnene Kranz dem Sohn zu Gute kommt. Dagegen macht derselbe mit Recht brieflich darauf aufmerksam, dass die Erwähnung des Vaters passender im Nachsatz Platz findet als im Vordersatz, wohin ich sie früher zu stellen vorgeschlagen hatte."

NE AURUM ADDITO. CUI AURO DENTES JUNCTI ESCUNT, AST IM CUM ILLO SEPELIET URETVE, SE FRAUDE ESTO.

Hujus legis sententiam adeo perspicuam esse puto, ut nihil explicatione opus sit.

Multi certe erunt, qui mirentur, quam ob rem, quum regum tempore nullum adhuc luxum fuisse verisimile sit, intercedente tam brevi temporis intervallo, has leges decem viri promulgarint. Sed hi erunt fere, qui primam eamque praecipuam horum praescriptorum causam repetere soleant a luxuriae coercendae studio. Quod, ut de multis uno alterove utar exemplo, etiam fecit de Pastoret, cujus opinio de his legibus haec est[3]): „En géneral, si l'on ne se

---

1) R. S. I. pag. 411 not. 2.

2) Schöll supplendum censuit: (si) arduitur ei (parentique ejus, se fraude esto)

3) Recherches et observations sur le commerce et le luxe des Romains et sur leur lois commerciales et somptuaires. (Histoire et Mémoires de l'Institut Royal de France pag. 313).

souvenait que les douze Tables furent en partie culquées sur les lois de Solon, on serait bien étonné de voir prendre tant de précautions, d'entendre de si longs et de si minutieux détails, dans un pays où la grossièreté des moeurs, la faiblesse du commerce, l'ignorance de la navigation et beaucoup d'autres causes devaient naturellement éloigner toute idée de faste." Eadem causa movisse videtur Wachsmuth ut scriberet [1]: „Der merkwürdige Contrast zwisschen den harten Schuldgesetzen, den weisen Polizeiverordnungen bei Leichenbesatzungen läst auf eine Misschung in- und ausländischer Gesetze schlieszen." Quorum admirationi ita optime facillimeque me occursurum confido, si paucis ostendero longe alias causas decemviros impulisse, ut leges illas promulgarent. Duplex autem harum causarum genus fuisse equidem persuasum mihi habeo, quae partim in publicis rationibus positae erant, partim in studio nimiam in lugendo intemperantiam minuendi. De his primum videamus.

Etenim inerat in mortuorum cultu apud Romanos ferum quoddam et barbarum. Quod ut ostendam, pauca proferam exempla. Serv. ad Aen. V. 78: „Umbrae sanguine et lacte satiantur, unde feminae, quae mortuos prosequuntur, ubera tundunt ut lac exprimant. Cuncti autem se lacerant, ut sanguinem effundant." Ibid. XII 606: „Moris fuit apud veteres, ut ante rogos humanus sanguis effunderetur vel captivorum vel gladiatorum: quorum si forte copia non fuisset, laniantes genas suum effundebant cruorem, ut rogis illa imago restitueretur." Ibid. III 67: „Apud veteres etiam homines interficiebantur, sed

1) Die ältere Geschichte des Röm. Staates pag. 369.

mortuo Junio Bruto, cum multae gentes ad ejus funus captivos misissent, nepos illius eos qui missi erant inter se composuit et sic pugnaverunt."

Haec autem, si quid video, decemviri corrigere voluerunt, ratione excogitata, quam his verbis descripsit Cicero [1]: „Sed hoc quidem in dolore maxime est providendum, ne quid abjecte, ne quid timide, ne quid ignave, ne quid serviliter muliebrieterque faciamus: inprimisque refutetur ac rejiciatur Philocteteus ille clamor. Ingemiscere non numquam viro concessum est idque raro: ejulatus ne mulieri quidem."

Nec multum diversa ratio est legum quibus matrimonium per usum introducta [2]) et patriae potestatis severitas mitigata [3]) est, quippe quae ex eodem cultus atque humanitatis studio provenisse videantur [4]). Huc autem ex nostra tabula illas leges pertinere puto, quibus cautum erat, ne nimia lamentatio fieret neve ossa homini legerentur.

Haec una fuit harum legum ferendarum causa, cui altera accedebat haec, de qua jam mihi dicendum est.

Niebuhr, fretus Dionys. X 3 (*συγγράψαντες τοὺς ὑπὲρ ἁπάντων νόμους, τῶν τε κοινῶν καὶ τῶν ἰδίων;*) Liv. III 34 („X tabularum leges.... qui nunc quoque fons omnis publici privatique juris est"); Dio Cass. (Zon. II pag. 27 *τὴν πολιτείαν ἰσοτέραν ποιήσασθαι ἐψηφίσαντο*), praeter privati juris emendationem etiam sibi propositum habuisse contendit decemviros: „die Stände zu verbinden und möglichst gleich zu stellen" [5]). Haec conjectura

---

1) Tusc. II. 23. 54. 2) Tab. VI. 5 (Bruns).

3) Tab. IIII. 2.

4) Cf. Schwegler R. G. III pag. 32 seqq. Mommsen R. G. I pag. 432.

5) R. G. II. pag. 314 seqq.

autem, cum jam per se ipsa arrideat [1]) magis etiam confirmari videtur nostris legibus, dummodo ne nimium legum sumptuariarum nomini tribuamus.

Quod quo plenius intelligatur, tenendum est, patriciorum superbiam in funeribus praesertim ostentatam fuisse. Longum est hoc sive rationum pondere confirmare sive exemplorum copia illustrare, sed verum esse quod dicimus haud dubitanter affirmamus, posteaquam rem omnem, allatis et comparatis scriptorum locis, in clarissima luce collocavit Kirchmannus [2]). Unum tamen hic locum afferre juvat Polybii, ubi id agens ut doceat quemadmodum juvenes Romani institutis publicis ad virtutem incitentur, haec profert [3]): „*Ὅταν γὰρ μεταλλάξῃ τις παρ' αὐτοῖς τῶν ἐπιφανῶν ἀνδρῶν, συντελουμένης τῆς ἐκφορᾶς, κομίζεται μετὰ τοῦ λοιποῦ κόσμου πρὸς τοὺς καλουμένους Ἐμβόλους εἰς τὴν ἀγορὰν, ποτὲ μὲν ἑστὼς ἐναργής, σπανίως δὲ κατακεκλιμένος. Πέριξ δὲ παντὸς τοῦ δήμου στάντος, ἀναβὰς ἐπὶ τοὺς Ἐμβόλους, ἂν μὲν υἱὸς ἐν ἡλικίᾳ καταλείπηται, καὶ τύχῃ παρὼν, οὗτος, εἰ δὲ μὴ, τῶν ἄλλων εἴ τις ἀπὸ γένους ὑπάρχει, λέγει περὶ τοῦ τετελευτηκότος τὰς ἀρετὰς καὶ τὰς ἐπιτετευγμένας ἐν τῷ ζῆν πράξεις. Δι' ὧν συμβαίνει τοὺς πολλοὺς ἀναμιμνησκομένους, καὶ λαμβάνοντας ὑπὸ τὴν ὄψιν τὰ γεγονότα, μὴ μόνον τοὺς κεκοινωνηκότας τῶν ἔργων, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἐκτὸς, ἐπὶ τοσοῦτον γίνεσθαι συμπαθεῖς, ὥστε μὴ τῶν κινδυνευόντων ἴδιον ἀλλὰ κοινὸν τοῦ δήμου φαίνεσθαι τὸ σύμπτωμα. Μετὰ δὲ ταῦτα θάψαντες καὶ ποιήσαντες τὰ νομιζόμενα, τιθέασι τὴν εἰκόνα τοῦ*

1) Cf. Wachsmuth l. l. pag. 371. Schwegler l. l. III. 6. Puchta Inst. (1881) I. pag. 111.

2) De funeribus (passim). Cf. etiam Mommsen R. G. I. pag. 857—859.

3) VI. 53 (Hultsch).

μεταλλάξαντος εἰς τὸν ἐπιφανέστατον τόπον τῆς οἰκίας, ξύλινα ναΐδια περιθέντες. Ἡ δὲ εἰκών ἐστι πρόσωπον, εἰς ὁμοιότητα διαφερόντως ἐξειργασμένον καὶ κατὰ τὴν πλάσιν καὶ κατὰ τὴν ὑπογραφήν. Ταύτας δὴ τὰς εἰκόνας ἔν τε ταῖς δημοτελέσι θυσίαις ἀνοίγοντες κοσμοῦσι φιλοτίμως, ἐπάν τε τῶν οἰκείων μεταλλάξῃ τις ἐπιφανής, ἄγουσιν εἰς τὴν ἐκφορὰν, περιτιθέντες ὡς ὁμοιοτάτοις εἶναι δοκοῦσι κατά τε τὸ μέγεθος καὶ τὴν ἄλλην περικοπήν. οὗτοι δὲ προσαναλαμβάνουσιν ἐσθῆτα, ἐὰν μὲν ὕπατος καὶ στρατηγὸς ᾖ γεγονὼς περιπορφύρους, ἐὰν δὲ τιμητής, πορφυρᾶς, ἐὰν δὲ καὶ τεθριαμβευκὼς ἤ τι τοιοῦτον κατειργασμένος, διαχρύσους. αὐτοὶ μὲν οὖν ἐφ' ἁρμάτων οὗτοι πορεύονται, ῥάβδοι δὲ καὶ πελέκεις καὶ τἄλλα τὰ ταῖς ἀρχαῖς εἰωθότα συμπαρακεῖσθαι προηγεῖται κατὰ τὴν ἀξίαν ἑκάστῳ τῆς γεγενημένης κατὰ τὸν βίον ἐν τῇ πολιτείᾳ προαγωγῆς. Ὅταν δ' ἐπὶ τοὺς Ἐμβόλους ἔλθωσι, καθέζονται πάντες ἑξῆς ἐπὶ δίφρων ἐλεφαντίνων." Quamquam minime ignoro haec Polybii verba ad tempus longe posterius pertinere, tamen ex iis optime colligi posse puto, qualem ostentationis occasionem illa praeberent funera. Itaque superba illa funera invidiae erant plebi, cum praesertim patricii, qui primores plebis divitiis augeri atque sibi similes fieri viderent, potentiae jacturam superbia atque ostentatione compensare studerent, atque institutis, quibus se plebe superiores esse scirent, in ejus contumeliam atque ignominiam verterent. Proinde opponebant se illorum superbiae et magnificentiae plebeji; atque ex hoc adversandi studio, ut postea Canuleja aliaeque leges, sic tunc praescripta illa, quae insignem ostentandi materiem patriciis adimerent, profecta esse puto.

Huic autem explicationi optime conveniunt ae quae Cicero de his legibus dicit: „haec laudabilia et locupletibus fere

cum plebe communia, quod quidem maxime e natura est, tolli discrimen in morte [1]. Ita quoque aequius et verius judicare poterimus de necessitudine, quae inter decemvirales et Solonis leges intercedebat. Ut enim doctorum Lelièvre [2] et Puchta [3] et Wachsmuth [4] opinioni minime accedere ausim, qui rejectis antiquorum desertis testimoniis [5] necessitudinem illam denegant, sic Gratama [6] plus dicere mihi videtur, quam veritas patitur, ubi contendit decemviros nulla patriorum morum et rituum ratione habita peregrinas et alienas introduxisse leges.

1) De Legg. II. 23. 2) Comm. de leg. XII tab. patria.
3) l. l. pag. 110. 4) l. l. pag. 369.
5) Cf. Cic. de legg. II. 23 : 59; Liv. III 31—33; Dion. X. 52; Tacit. Ann. III. 27; Plin. Epp. VIII. 24, 4; Flor. I. 24. 1; de Vir. Ill. 21; L. 13. D. X, 1; L. 4 D. XLVII. 22.
6) De Hermod. Ephes. vero XII. tab. auctore.

CAPUT II.

Jam pervenimus ad eam disputationis partem, qua sumus expositnri censorum in luxuria coercenda partes. Quod autem supra scripsi, leges sumptuarias eo maxime consilio latas esse, ut nobilitatis dominationem confirmarent, id ex ratione qua C. Fabricius Luscinus et M. Porcius Cato censores luxuriam impugnaverunt, optime perspici potest. Quod quo melius intellegi explicarique possit, operae pretium videtur in scriptorum locos huc pertinentes diligentius paullo inquirere, eosque argumentis ex historia petitis breviter illustrare. Primum igitur afferam locos.

Val. Max. II. 9. 4. „Quid de Fabricii censura loquar? Narravit omnis aetas et deinceps narrabit ab eo Cornelium Rufinum duobus consulatibus et dictatura speciosissime functum, quod decem pondo vasa argentea comparasset, perinde ac malo exemplo luxuriosum, in ordine senatorio retentum non esse" [1]).

1) Cf. Gell. XVII. 21.

Cornelius Nepus in vita Catonis c. 2. „At Cato censor cum eodem Flacco factus, severe praefuit ei potestati; nam et in complures nobiles animadvertit, et multas res novas in edictum [1]) addidit, qua re luxuria reprimeretur, quae tantum incepit pullulare." Cf. Polyb. XXXI 24. „Κάτων — ἐδυσχέραινε ὅτι τινὲς τὰς ξενικὰς τρυφὰς εἰςήγαγον εἰς τὴν Ῥώμην — ὠνησάμενοι μειράκια εὔμορφα ὑπερβαλλούσης ἀγρῶν τιμῆς." Quid autem in edictum addiderit Cato, docet Livius XXXIX 44. „In censibus quoque accipiendis tristis et aspera in omnes ordines censura fuit. Ornamenta et vestem muliebrem et vehicula, quae plus quam XV millium aeris essent, deciens pluris in censum referri juratores jussi; item mancipia minora annis viginti, quae post proximum lustrum X millibus aeris aut pluris eo venissent, uti ea quoque deciens tanto pluris, quam quanti essent, aestimarentur, et his rebus omnibus terni in millia aeris attribuerentur." Cf. Plutarchus Cat. Maj. c. 18. „Τοὺς δὲ πλείστους ἠνίασε μάλιστα τῇ περικοπῇ τῆς πολυτελείας, ἣν ἄντικρυς μὲν ἀφελέσθαι, νενοσηκότων ἤδη καὶ διεφθαρμένων ὑπ' αὐτῆς τῶν πολλῶν, ἀδύνατον ἦν, κύκλῳ δὲ περιιὼν ἠνάγκαζεν ἐσθῆτος, ὀχήματος, κόσμου γυναικείου, σκευῶν τῶν περὶ δίαιταν, ὧν ἑκάστου τὸ τίμημα δραχμὰς χιλίας καὶ πεντακοσίας ὑπερέβαλεν, ἀποτιμᾶσθαι τὴν ἀξίαν εἰς τὸ δεκαπλάσιον, βουλόμενος ἀπὸ μειζόνων

1) Jarcke, Das Cens. Strafrecht der Römer pag. 112, 113. De censorio edicto in universum vide Mommsen R. S. pag. 360 et in primis n. 5. De Catonis edicto cf. Weissenborn ad hunc locum; Marq. V. 1. pag. 180. Lange R. A. I pag. 494, 495.

τιμημάτων αὐτοῖς μείζονας καὶ τὰς εἰςφορὰς εἶναι. Καὶ προσετίμησε τρεῖς χαλκοῦς πρὸς τοῖς χιλίοις, ὅπως βαρυνόμενοι ταῖς ἐπιβολαῖς καὶ τοὺς εὐσταλεῖς καὶ λιτοὺς ὁρῶντες ἀπὸ τῶν ἴσων ἐλάττονα τελοῦντας εἰς τὸ δημόσιον ἀπαγορεύωσιν."

Ut igitur ab antiquissimo ordiamur, vidimus P. Cornelium Rufinum ob nimiam argenti facti copiam a C. Fabricio censore senatu motum esse anno 479/275. Tempore illo Romana nobilitas opibus et gratia quam maxime pollebat. Loco patriciorum nova exstiterat nobilitas [1]), cujus auctoritas non tam antiquitate generis, quam maximis de re publica meritis nitebatur. Singulis autem nobilibus propositum erat, ut universam nobilitatem gloria augerent; huc omne studium suis missis commodis conferebant, ut illa florente ipsi vigerent ac sibi quisque ea tantum haberent commoda, quae ex bene constituto corpore in singula membra redundarent. Hinc summa erat inter eos concordia, nihil conspiciebatur dividuum; singuli universorum saluti prospiciebant. Mutabantur membra sed manebat corpus [2]). Novis igitur hominibus ad nobilitatem facile patebat aditus, dummodo ad communem salutem augendam insignem prudentiam et usum diuturnum conferrent. Ad hanc aetatem imprimis referenda sunt Taciti verba: „Apud majores virtutis id (i. e. magistratus adipisci) praemium erat; cunctisque civium, si bonis artibus fiderent, licitum petere magistratus; ac ne aetas quidem dis-

1) Vide Sall. Jug. 41. 42; Cat. 39; qui classici omnino sunt loci de nobilitate. Legatur porro de hujus aetatis viris Mommsen R. G. I pag. 453—455.

2) „Wie das Grab in gleicher Weise über dem bedeutenden wie über dem geringen Menschen sich schliesst, so steht auch in der römischen Bürgermeisterliste der nichtige Junker ununterscheidbar neben dem grossen Staatsmann" (M.).

tinguebatur, quin prima juventa consulatum et dictaturas inirent" [1]). Ita M'. Curius Dentatus et C. Fabricius Luscinus, obscuro loco nati, ad amplissimos pervenerunt honores. Qui tamen, semel inter nobiles admissi, suum ipsorum commodum ad unam nobilitatis auctoritatem referebant, nec quidquam illi alienum vel ipsi committebant, vel ab aliis commissum negligebant.

Haec autem conditio ut firma et stabilis manere posset, in primis erat cavendum, ne singuli nobiles ceteris opibus et auctoritate excellerent, vel ut Mommsenii verbis utar, „der Senator soll nicht slechter und nicht besser, überhaupt nicht anders sein als die Senatore alle; es ist nicht nöthig und nicht wünschenswerth, dass ein Bürger die übrigen übertreffe weder durch prünkendes Silbergerath und Hellenische Bildung, noch durch ungemeine Weisheit und Trefflichkeit."

Id autem optimo cuique nobilium adeo erat persuasum, ut ne privatum quidem damnum cum partium suarum incommodo effugerent. Cujus rei haud luculentius esse putem documentum, quam quod Fabricius decem aeris et quinque pondo argenti et decem servos a Samnitibus sibi missos remisit [2]); quod Pyrrhus anno 475/279 per legatum Cineam frustra nobilium animos donis tentavit [3]). Ex eodem fonte provenisse videtur quod Q. Fabius Gurges, N. Fabius Pictor, Q. Ogulnius, qui anno 481/273 legati ad Ptolemaeum Philadelphum missi erant [4]), munera, quae ab eo privatim acceperant, in aerarium detulerunt, „scilicet de publico ministerio

1) Ann. XI. 22. 2) Valer. Max. III. 4. 6.
3) Liv. XXXIV. 4; Plut. Pyrrh. 18.
4) Dionys. Halic. XX. 4; Zon. VIII. 6; Valer. Max. IV. 3. 9.

nihil cuiquam praeter laudem bene administrati officii accedere debere judicantes."

Hanc autem rationem si quis parvi facere in animo haberet, ac suum studium prae ceterorum extollere, aderat censor, firmissimum illud nobilitatis praesidium, ut illius et arrogantiam reprimeret et auctoritatem minueret. Hinc factum esse arbitror, ut C. Fabricius Luscinus P. Cornelium Rufinum senatu moveret, quia eum comperisset argenti facti decem pondo habere. Quod quo plenius demonstrem, testem producam Gellium [1]. .... „Hunc Rufinum Fabricius non probabat neque amico utebatur, osusque eum morum causa fuit. Sed quum in temporibus rei difficillimis consules creandi forent, et is Rufinus peteret consulatum, competitoresque ejus essent imbelles quidam et futiles, summa ope adnixus est Fabricius, uti Rufino consulatus deferretur." Itaque quum propter militaris disciplinae peritiam optimatium causae utilis esse posset Rufinus, ejus auxilium non sprevit Fabricius; idem vero quum nimia avaritia nobilitatis commodis adversaretur, ab eodem Fabricio censore statim ex ea exclusus est. A reipublicae igitur rationibus hanc notandi causam repetendam esse si affirmaverim, haud vereor ne a vero longius oberrem.

Haec nobilium corruptela ac depravatio, cujus primum documentum Rufinus dederat, procedente deinceps tempore longius

1) IV. 8.

est progressa. Etenim rationem, quam M'. Curii aetate unice probaverant, paulatim magis magisque demittebant ac spretis majorum moribus institutisque summae in vivendi ratione licentiae indulgere coeperunt. Ac primum quidem inanis ostentationis cupiditas animos occupavit. Quod ne cui temere dixisse videar, afferam exempla.

Olim effigies hominum non solebant exprimi, nisi si quis aliqua insigni de causa perpetuitatem meruerat. Sic C. Maenio et L. Furio Camillo, qui Latinorum exercitu profligato (anno 416/338) non quieverant, antequam vel expugnatione vel deditione singularum urbium Latium omne subegissent, statuae equestres in foro positae sunt [1]). Quod rarum illa aetate fuisse disertis verbis Livius [2]) testatur. Idem honor triginta fere annis post decretus est C. Marcio, qui Hernicos devicerat [3]). Quodsi cum his honoribus comparamus illos, qui anno 534/220 C. Duillio habiti sunt, facile intelligitur quantopere jam tunc inani gloriae cupiditati se dedere coepissent. Non debellaverat cum Poenis Duillius, immo vero nihil aliud fecerat, nisi quod primus navalem triumphum de iis egerat. Et vel sic tamen non solum ei in suggestu rostra fixa [4]) sunt, sed etiam „quotienscunque epulatus erat ad funalem cereum, praecinente tibicine et fidicine, a cena domum reverti solitus est, insignem bellicae rei successum nocturna celebratione testando" [5]).

Aliud gloriae cupidinis exemplum in eo positum erat quod propter res praeclare gestas honoris gratia cognomina sibi

---

1) Plin. N. H. XXXIV 5. 20.
2) VIII 13. 9.
3) Liv. IX 43.
4) Plin. l. l.
5) Val. Max. III 4. 6.

assumebant. Cujus rei primus fuit auctor M. Valerius Maximus, qui Messana urbe expugnata Messalam sibi cognomen imponi passus est [1]).

Hisce exemplis satis me ostendisse existimo optimates, quo majore auctoritate florerent, eo plus arrogantia crevisse eoque longius a ratione olim probata recessisse et quamquam majore temperantia usi sunt illi quos memoravi viri, quam qui deinceps exstitere nobiles, tamen aderant jam semina corruptelae illius, quae postea tantopere eorum potentiae nocuit. Erant jam, qui adeo gloriae cupiditate flagrarent, ut vel senatus auctoritate spreta ei indulgere conarentur. Veluti M. Papirius Masso, qui, quum a senatu triumphum non impetrasset, in Albano monte triumphandi et ipse initium fecit et ceteris postea exemplum praebuit [2]).

Ut magis autem et inter ipsos nobiles tolleretur aequalitatis ratio, et nobilitas omnis a reliquo populo secerneretur etiam alia effecit causa. Etenim cum iis populis bella gerere coeperant Romani, qui Samnites ac Latinos disciplina militari peritiaque bellica longe superabant. Itaque in his bellis duces quaerendi erant, quorum ingenium, variis modis spectatum, ad rem militarem idoneum videretur, et qui, quantum usu et experientia, tantum etiam disciplina excellerent. Hoc autem in re militari non magis quam in re civili valebat: opus erat magistratibus ita eruditis atque excultis, ut prae ceteris digni essent, qui rempublicam administrandam susciperent [3]). Unde sponte sequitur eos, qui his artibus praepollerent, etiam gratia

---

1) Macr. Sat. I 6. 26. 2) Val. Max. III. 6. 5.

3) Cf. etiam Mommsen R. G. I pag. 789: „Die Ausschliessung der Aer-

atque auctoritate reliquos superasse. Sed ita quoque factum est, ut novi homines paulatim a republica plane excluderentur, quod C. Fabricii aetate longe aliter fuisse supra vidimus.

Itaque optimates, rei publicae salutem a se prorsus pendere intelligentes, superbum in alios exercere nitebantur dominatum, ita ut ad paucorum regimen magis magisque civitatis conditionem componerent. Ex hac autem rerum conditione quantum superbiae et insolentiae provenire deberet vel me tacente unusquisque intelligere potest. Exempla vero si quaeruntur, inprimis commemoranda videtur Claudia illa, Appii Caeci filia, quae anno 608/146, quum e ludis exiens turba populi undique confluentis fluctuantisque jactaretur „utinam" inquit „reviviscat frater, aliamque classem in Siciliam ducat atque istam multitudinem perditum eat, quae me male nunc miseram convexavit" [1]). Ne quis autem rara haec exempla esse dicat atque ex deterioribus nobilium petita: honoratiores quoque, qui diu rempublicam gesserant, optimeque de ea meriti fuerant, plus semel ostenderunt, quam parvi populum facerent. Velut T. Manlius Torquatus, qui, bis consulatu functus, quum acclamante populo ter consul creatus esset anno 543/211, his verbis populi erga se benevolentiam repudiare non dubitavit: „Neque ego vestros mores consul ferre potero, neque vos imperium meum" [2]).

---

meren vom Regiment war freilich durch die Verhältnisse geboten. Seit Rom ein rein italischer Staat zu sein aufgehört, und die hellenische Bildung adoptirt hatte, war es nicht langer möglich einen kleinen Bauersmann vom Pfluge weg an die Spitze der Gemeinde zu stellen."

1) Gell. X. 6. 2.

2) Liv. XXVI, 22. 9. Cf. Val. Max. VI. 4. 1.

Nec praetermittendus est M. Livius Salinator, qui, populo iratus ob damnationem, quam priore consulatu subierat, quum anno 547/207 iterum consul crearetur et adversus Hannibalem exercitum ducturus esset, primam pugnandi occasionem se non omissurum dixit, etiamsi ante oblata esset, quam hostium vires animumque cognosset, idque eo consilio „ut quam celerrime gloriam ex hostibus aut ex civibus prostratis gaudium caperet" [1]). Idem postea censor creatus, XXXIV tribus inter aerarios rettulit, quod prius se damnassent, postea consulem et censorem fecissent [2]).

Interea, quo magis a pristina temperantia et moderatione recedebant nobiles, eo magis imminebat aliud periculum, nobilium dominationi omnium maxime infestum. Etenim est in rerum natura positum, in civitate, quae optimatium arbitrio regatur, hos solos opibus et divitiis valere; idque Romae ne Fabricii quidem aetate aliter se habuisse [3]) satis multis indiciis constat. Quae autem de illorum homimum paupertate narrantur, mihi quidem hoc ostendere videntur, eos semper intellexisse, nihil magis sibi cavendum esse, quam ne nimie divitiis ostentandis in invidiam et odium incurrerent. Itaque summo studio nitebantur, ut non existimationem suam divitiis

---

1) Val. Max. IX. 3. 1. 2) Val. Max. II. 9. 6.

3) Cf. Mommsen R. G. I. pag. 304 n: „Die Armuth der Consulare dieser Epoche, welche in den moralischen Anecdotenbüchern der späteren Zeit eine grosse Rolle spielt, beruht grossentheils auf Missverständniss theils des alten spar samen Wirtschaftens, welches sich recht gut mit ansehnlichen Wohlstand verträgt, theils der alten schönen Sitte verdiente Männer aus dem Ertrag von Pfenningcollecten zu bestatten, was durchaus keine Armenbeerdigung ist. Auch die autoschediastische Beinamenerklärung, die soviel Platheiten in die Römische Geschichte gebracht hat, hat hierzu ihren Beitrag geliefert."

debere, sed divitiis virtutem ornare viderentur. Hoc institutum quam diligenter etiam postea secuti sint, colligere licet ex narratiuncula, quae legitur apud Livium IX, 19. Quum enim equites aliquando a Papirio Cursore dictatore peterent, ut iis pro re bene gesta aliquid laboris laxaret, respondit ille: „ne nihil remissum dicatis, remitto ne utique dorsum demulceatis, quum ex equis descendetis.“ Sic etiam anno 502/252 quadringenti equites aerarii facti sunt a M. Valerio et P. Sempronio censoribus, quia in Siciliam ad munitionum opus explicandum ire jussi, facere id neglexerant [1]). Unde simul sequitur, quo magis nobiles crescerent arrogantia et superbia, eo plures fuisse qui propter divitias se dignos putarent, qui ceteris civibus praeponerentur. Hujus rei multa etiam alia exstant indicia, quorum unum alterumve hoc loco proferre operae pretium videtur.

Quum C. Sempronius Blaesus Cn. Fulvio ob exercitum in Apulia amissum diem diceret anno 543/211, in contione his verbis usus est: „facinus indignum esse, Cannensem exercitum, quod ex acie fugerit, in Siciliam deportatum, ne prius inde dimittatur, quam hostis ex Italia decesserit, et hoc idem in Cn. Fulvii legionibus nuper decretum; Cn. Fulvio fugam ex praelio, ipsius temeritate commisso, impunitam esse, et eum in ganea lustrisque, ubi juventam egerit senectutem acturum; milites, qui nihil aliud peccaverint, quam quod imperatoris similes fuerint, relegatos prope in exsilium, ignominiosam pati militiam. Adeo imparem libertatem Romae diti ac pauperi, honorato atque inhono-

1) Val. Max. II. 9. 7. Cf. Front. Strat. IV. 1. 22.

rato esse" [1]). Huic Blaesi orationi perigrini viri testimonium mire congruit. Nabis enim, Lacedaemoniorum tyrannus, a T. Quinctio, quod servos ad libertatem vocasset, inopemque plebem in agros deduxisset, accusatus, inter cetera excusationis argumenta etiam haec attulit: „Nihil comparare singula necesse est. Vos a censu equitem, a censu peditem legitis, et paucos excellere opibus, plebem subjectam esse vultis; noster legumlator cet" [2]).

Huic nobilitatis depravationi atque corruptelae multum profuit acerrimum mercaturae studium, quod post bellum Punicum secundum Romae exstiterat. Erant jam inter optimates qui, prioris continentiae plane obliti, nihil aliud curarent, nisi quod ad lucrum conferre videretur. Res longior est, quam ut eam hoc loco copiose exponamus [3]); sed non a veritate nos abhorrere satis declarat lex Claudia, qua cautum erat „ne quis senator, cuive senator pater fuisset, maritimam navem, quae plus quam trecentarum amphorarum esset, haberet" [4]).

---

1) Liv. XXVI. 2. 14. 2) Liv. XXXIV. 31. 17.

3) Vide Mommsen R. G. I. pag. 845—853.

4) Liv. XXI. 63. „Flaminius führte dadurch nicht etwas Neues ein, sondern er liess nur durch Volksbeschluss einen Grundsatz sanctioniren, der sich bis auf die Zeiten des M'. Curius und C. Fabricius von selbst verstanden habe; den Grundsatz, dass nur der Ackerbau ehrenvoll für den Römer, alle Speculation aber für ihn unanständig sei." Sic Lange R. A. II pag. 151 et Boxman l. l. pag. 20, quorum tamen sententia si vera esset, ab ipsa nobilitate hanc legem profectam esse oportuit. Sed a tota Flaminii vita aliena est suspicio, illum, quum auctor esset Claudio hujus legis promulgandae, id sibi propositum habuisse, ut nobilium mores corrigendo potestatem atque auctoritatem eorum augeret. Melius igitur, ni fallor, Mommsen l. l. pag. 849: „Zwar ward diese Bestimmung nicht von den Senatoren hervorgerufen, sondern war ein Werk der democratischen Opposition, welche damit zunächst wohl nur den Uebel-

Longe plurima vero corruptelae exstitere invitamenta, quum ditissimos Romani sibi subjecerunt Graeciae Asiaeque populos; victoriae enim de Macedoniis, Aetolis, Syriis, Gallograecis reportatae una cum divitiis peregrinos importaverant mores, ad luxuriem, ignaviam, mollitiem compositos. Modo audiamus Livium: „Luxuriae enim peregrinae origo ab exercitu Asiatico invecta in urbem est. Ii primum lectos aeratos, vestem stragulam pretiosam, plagulas et alia textilia et, quae tum magnificae suppellectilis habebantur, monopodia et abacos Romam advexerunt. Tum psaltriae sambucistriaeque et convivalia ludorum oblectamenta addita epulis; epulae quoque ipsae et cura et sumptu majore apparari coeptae. Tum coquus, vilissimum antiquis mancipium et aestimatione et usu, in pretio esse, et quod ministerium fuerat, ars haberi coepta" [1]). Eodem fere redit Plinii testimonium: „Victoria tamen illa Pompeji primum ad margaritas gemmasque mores inclinavit, sicut L. Scipionis et Cn. Manli ad caelatum argentum et vestes Attalicas et triclinia aerata, sicut L. Mummi ad Corinthia vasa et tabulas pictas" [2]). Hisce omnibus ita nobilium mentes inficiebantur, ut quorum semina jam aderant, crescerent vitia, et frequentes existerent P. Rufini imitatores [3]).

---

stand beseitigen wollte, dass Regierungsmitglieder mit der Regierung selbst Geschäfte machten; es kann auch sein, dass die Capitalisten hier schon, wie später so oft, mit der democratischen Partei gemeinschaftliche Sache gemacht und die Gelegenheit wahrgenommen haben, durch den Ausschluss der Senatoren die Concurrenz zu vermindern.

1) XXXIX. 6. 5. seqq. 2) H. N. XXXVII. 1. 6.

3) Longum est haec singulatim omnia explicare. De Scipione cf. Val. Max.

Itaque effectum est, ut inter optimates ceterosque cives tanta fieret morum studiorumque diversitas, quanta maxima esse potuit. Quid, quod jam eo res venerat, ut censores Sex. Aelius Paetus et C. Cornelius Cethegus anno 560/194 gratiam ingentem apud nobilitatem sibi parerent, quod ludis Romanis aedilibus curulibus imperarunt ut loca senatoria secernerent a populo, quum antea in promiscuo spectassent [1]? Itaque optimatium culpa paulatim respublica Romana in eum pervenerat statum, quem Polybius his verbis describit: *Ὅταν γὰρ πολλοὺς καὶ μεγάλους κινδύνους διωσαμένη πολιτεία μετὰ ταῦτα εἰς ὑπεροχὴν καὶ δυναστείαν ἀδήριτον ἀφίκηται, φανερὸν ὡς, εἰσοικιζομένης εἰς αὐτὴν ἐπὶ πολὺ τῆς εὐδαιμονίας, συμβαίνει τοὺς μὲν βίους γίνεσθαι πολυτελεστέρους, τοὺς δ' ἄνδρας φιλονεικοτέρους τοῦ δέοντος περί τε τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἄλλας ἐπιβολάς. Ὧν προβαινόντων ἐπὶ πλέον, ἄρξει μὲν τῆς ἐπὶ τὸ χεῖρον μεταβολῆς ἡ φιλαρχία καὶ τὸ τῆς ἀδοξίας ὄνειδος, πρὸς δὲ τούτοις ἡ περὶ τοὺς βίους ἀλαζονεία καὶ πολυτέλεια, λήψεται δὲ τὴν ἐπιγραφὴν τῆς μεταβολῆς ὁ δῆμος, ὅταν ὑφ' ὧν μὲν ἀδικεῖσθαι δόξῃ διὰ τὴν πλεονεξίαν ὑφ' ὧν δὲ χαυνωθῇ κολακευόμενος διὰ τὴν φιλαρχίαν. Τότε γὰρ ἐξοργισθεὶς, καὶ θυμῷ πάντα βουλευόμενος, οὐκέτι θελήσει πειθαρχεῖν, οὐδ' ἴσον ἔχειν τοῖς προεστῶσιν, ἀλλὰ πᾶν καὶ τὸ πλεῖστον αὐτός"* [2]).

In hoc autem discrimine non defuere nobiles, qui mali contagionem antevertere conarentur. Nam quum pars nobilitatis, cujus principes erant Scipio, Flamininus, Fulvius Nobi-

---

III. 6. 1; Liv. XXIX. 19. 16; de Flaminio Plut. Flam. cap. 2, 5. De tota hac aetate vide Gerlach, P. Cornelius Scipio Africanus der Aeltere und seine Zeit; Rovers de Censorum auctoritate et existimatione pag. 83 seqq.

1) Liv. XXXIV. 44.

2) VI. 57 (Hultsch).

lior peregrinis moribus faverent, altera pars intelligere coepit optimatium potestatem integram manere non posse, si patriis non amplius viveretur institutis et moribus. Hujus partis facile princeps erat M. Porcius Cato, „der klarste Ausdruck des alten Römerthums in seiner herbsten und schroffsten Gestalt" [1]. Qui M'. Curii villam contemplans, καὶ θεώμενος τοῦ τε χωρίου τὴν μικρότητα καὶ τῆς οἰκήσεως το λιτόν satis admirari non potuit illorum temporum disciplinam, καὶ ἔννοιαν ἐλάμβανε τοῦ ἀνδρὸς, ὅτι Ῥωμαίων μέγιστος γενόμενος καὶ τὰ μαχιμώτατα τῶν ἔθνων ὑπαγαγόμενος καὶ Πύρρον ἐξελάσας τῆς Ἰταλίας τοῦτο τὸ χωρίδιον αὐτὸς ἔσκαπτε καὶ ταύτην τὴν ἔπαυλιν ᾤκει μετὰ τρεῖς θριάμβους [2]. Ergo non modo eandem, quam in Curio mirabatur, continentiam et ipse consecutus est, sed ad eam praeterea ceteros optimates adigere conabatur. Itaque, cum L. Valerio Flacco censor creatus, luxuriam omni ratione impugnare aggressus est, atque ex hoc studio profectae sunt leges illae, quas supra jam memoravi [3].

---

1) Gerlach. l. l. pag. 183. De Catonis vita et moribus praeter ipsius opera adeantur Plutarchi Cato Major, Liv. XXXIX. 40. Cf. porro Gerlach P. Cornelius Scipio und M. Porcius Cato (Hist. Studien pag. 171 seqq.); Renvall M. Porcius Cato pag. 37 seqq. Mommsen R. G. I, pag. 812 seqq. 867 seqq.

2) Plut. Cat. Maj. 2.

3) Catonem respexisse videtur Niebuhr quum scriberet (R. G. II, pag. 450): „Zu diesen lezten Vergehen (in quae censores animadvertebant) gehörte der Luxus, dessen Bestrafung an Vornehmen in der Zeit, wo die Liebe der guten alten Sitte und die Versuchung ihr untreu zu werden zusammenstiessen, die beruhmtesten Ueberlieferungen von Censorischer strenge gewährt." Operae pretium videtur Mommsenii de his rebus judicium ascribere. R. G. I. pag. 814: „Dieser Krieg gegen die Personen, und die vielfachen Versuche mit Justiz und Polizei den Geist der Zeit zu bannen, wie achtenswerth auch die Gesinnung war, aus der sie hervorgingen, könnten doch höchstens den Strom der Corruption auf eine kurze Weile zurückstauen."

Mercaturae autem studium quod post bellum Punicum primum et secundum Romae natum esse supra memoravimus, praeter morum corruptelam Romanae nobilitati plura etiam incommoda intulit. Hoc enim studio factum est, ut procedente tempore inter nobiles duae existerent factiones, altera senatorum, mercatorum (equitum) altera, utraeque sibi invicem insidiantes, atque ita nobilitas in duas veluti partes scinderetur. Haec animorum disjunctio mirum in modum creverat lege Claudia, quippe quae legitimum quasi finem inter senatores et equites constitueret [1]).

Quamquam minime ignoro, gravissimas inter illos contentiones Gracchorum demum tempore agitatas esse, easque tum demum praecipuam luxuriae coercendae causam factam esse (quod infra plenius demonstrabo), tamen retineri non possum, quin statuam Catonem quoque in censura agenda id sibi proposuisse, ut equitibus molestias exhiberet. Cujus opinionis ut rationes reddam, in memoriam revocabo, eum praetorem feneratores ex Sardinia expulisse [2]). Id autem genus hominum semper ei invisum fuisse, cognoscere licet e praefatione libri, quem scripsit de Re Rustica: „Est interdum praestare mercaturis rem quaerere nisi tam periculosum siet, et item fenerari, si tam honeste siet. Majores nostri sic habuerunt et ita in legibus posiverunt, furem dupli condemnari, feneratorem quadrupli. Quanto pejorem civem existimarint feneratorem quam furem, hinc licet existimare" [3]).

---

1) Cf. Lange l. l. II. pag. 152. Mommsen l. l. I. pag. 850.

2) Cf. Liv. XXXII. 27. 3) Cf. Cic. de Off. II. 25.

Vell. Paterc. II. 10. „Prosequamur nota severitatem censorum Cassii Longini Caepionisque, qui abhinc annos CLIII Lepidum Aemilium augurem, quod VI milibus H. S. aedes conduxisset, adesse jusserunt."

De Aemilio Lepido vide Cic. Brut. c. 25 „M. Aemilius Lepidus, qui est Porcina dictus, iisdem temporibus fere, quibus Galba, sed paullo minor natu, et summus orator est habitus et fuit, ut apparet ex orationibus, scriptor sane bonus. Hoc in oratore Latino primum mihi videtur et levitas apparuisse illa Graecorum, et verborum comprehensio et jam artifex ut ita dicam, stilus (Cf. de Orat. I. 40. 10; ad Herenn. IV. 5)."

Anno 617/137 proconsul in Hispania infeliciter adversus Vaccaeos rem gessit et apud Numantiam profligatus est. Cf. Liv. Epit. 56; App. Ib. 80—82, qui paullo post (c. 83) „Ῥωμαῖοι" inquit „δ' αὐτὰ πυθόμενοι τὸν μὲν Αἰμίλιον παρέλυσαν τῆς στρατηγίας τε καὶ ὑπατείας· καὶ ἰδιώτης ἐς Ῥώμην ὑπέστρεφεν καὶ χρήμασιν ἐπεζημιοῦτο."

Quum sit apud Val. Max. VIII. 1. damn. 7 „Admodum severae notae et illud populi judicium, quum M. Aemilium Porcinam, a L. Cassio accusatum crimine nimis sublime exstructae villae in Aliensi agro, gravi multa adfecit", eodem judicio Porcinam et ob rem male gestam et ob nimis sublime exstructam villam damnatum esse suspicatus est Lange [1]). Cui equidem assentiri non possum, nam ut praetermittam insolitam illam luxuriae cum re male gesta conjunctionem, luxuriae crimen in populi judicio versatum esse nusquam alibi, quod scio, invenitur. Itaque cum Jarcke [2]) potius sic

1) l. l. pag. 551 Cf. III pag. 28. 2) l. l. pag. 87.

statuendum esse arbitror, errasse Valerium et ex duobus narrationibus unam conflasse.

Ceterum tenendum est Porcinam illum legem tabellariam dissuasisse, quam Cassius Longinus tulerat anno 617/137, ita ut a vero non abhorrere videatur conjectura, privatas rixas hujus notae causam fuisse.

Ad luxuriam coercendam etiam pertinere putat Boxman [1]) quod P. Licinius Crassus, C. Julius Caesar censores anno 665/89 edixerunt „ne quis vinum Graecum Amineumque venderet [2]). In eandem sententiam iverunt Jarcke [3]), Lange [4]) Mommsen [5]). Etsi vereor igitur, ne sint qui causam me agere desperatam opinentur, tamen in medium proferre liceat, quae mihi illorum judicio repugnare videntur.

Etenim si censores de nimiis impensis in vinum factis solliciti, modum iis imponere studuissent, non Graeci solum Amineique, sed omnis vini usum prohibere debuerunt, quum praesertim, teste Plinio, Italicum vinum in auctoritate esse jam coeperat. Itaque sic statuo, censores illos, quum hoc edictum proponerent, non tam id egisse, ut vini intemperantiam minuerent, quam potius hoc, ut novam lucrandi viam optimatibus aperirent. Praeclare enim intellexerunt, nihil magis esse e re illorum, qui latifundia possiderent, quam si vini Italici usus latius divulgaretur. Quod quo facilius iis procederet, prohibere conati sunt, quominus pretiosiora pere-

1) l. l. pag. 35.
2) Plin. H. N. XIV. 14. 94.
3) l. l. pag. 39.
4) l. l. III. pag. 118.
5) R. S. II. pag. 368 n. 5.

grini vini genera Romae venirent, eadem ratione excogitata, qua anno 593/161 senatus consulto juberentur primores civitatis jurare apud consules, se non vino peregrino sed patrio usuros [1]).

Semper autem intentos fuisse Romanos ad vitis culturam in Italia augendam, tam gravibus indiciis constat, ut nihil certius esse videatur vel evidentius. Quod ne cui temere dixisse videar, producam testes. Cic. de Rep. III. 9. 6: „Nos vero" inquit „justissimi homines, qui Transalpinas gentes oleam et vitem serere non sinimus, quo pluris sint nostra oliveta nostraeque vineae; quod quum faciamus prudenter facere dicimur." Plin. XIV. 14. 94. „Apothecas fuisse et diffundi solita vina anno 633 urbis apparet indubitato vini Opimiani argumento, jam intelligente suum bonum Italia."

Quae quum ita sint, fortasse ne in altero quidem eorundem censorum edicto, quo cautum erat „ne quis venderet unguenta exotica" [2]), de luxuria coercenda cogitandum est. Idem existimare videtur Mommsen, qui ad hunc Plinii locum: „Indess" inquit „wird als das Compelle hier vielleicht richtiger nicht die Nota gedacht, sondern eine Steuer- oder Zollvorschrift" [3]). Quominus autem de his pro certo quidquam statuamus, impedimento est testimoniorum inopia.

1) Gell. II. 24. 2. Cf. Mommsen R. G. II. pag. 392 „Die Italische Weinproduction vor allem, die theils die Eröffnung gezwungener Märkte, theils das zum Beispiel in dem Aufwandgesetz von 161 ausgesprochene Verbot der ausländischen Weine in Italien auch künstlich förderten, erzielte sehr bedeutende Erfolge.

2) Plin. N. H. XIII. 3. 24.

3) R. S. II. pag. 368 n. 6.

CAPUT III.

Gellii atque Macrobii de sumptuariis legibus locos quicunque inter se comparaverit, statim opinor videbit multa apud alterum occurrere quae apud alterum desiderentur, alia rursus a Macrobio praetermissa, a Gellio commemorata esse. Quae quum ita sint operae pretium videtur paullo diligentius inquirere, uter in commentando ipsam legis formulam sub oculis habuerit, uter, quod memoriae forte occurreret, in chartam conjecerit. Quam quaestionem ita optime ad liquidum me perducturum esse puto, si paucis exposuero, quid causae utrumque impulisse videatur, ut harum legum commentationem scriberet.

Annotaverat Gellius, credo, Lucilii Laeviique versus, quippe quos explicare ei operae pretium videretur propter reconditas et inauditas, in quibus ipse haeserat, dicendi formulas. Hujus modi rationem saepius eum secutum esse ut ostendam, in medium proferam unum alterumve locum.

Lib. II. 22. 30. „P. Nigidii .... verba haec sunt: „„Et ἐτησίαι et austri anniversarii secundo sole flant."" Considerandum igitur est, quid sit secundo sole."

Lib. III. 3. 7. „Nos quoque ipsi nuperrime, cum legeremus Fretum, nomen est id comoediae quam Plauti esse quidam non putant, haud quidquam dubitavimus, quin ea Plauti foret, et omnium quidem maxime genuina. Ex qua duo hos versus exscripsimus, ut historiam quaereremus oraculi arietini."

Lib. IV. 13. 3. „Hoc eo strictim notavi, quoniam in M. Catonis oratione, qua Voconiam legem suasit, quaeri solet, quid sit classicus, quid infra classem" [1]).

Itaque Lucilii Laeviique versibus in aliud tempus sepositis, venerunt ei in manum Ateji Conjectanea, ex quibus eas leges excerpsit, unde ad versus illos illustrandos aliquid lucrari posset, Fanniam dico et Liciniam. Nam quominus cum Mercklin [2]) et Dirksen [3]) contrarium Gellio consilium fuisse accipiamus, eumque non ad versus explicandos leges, sed ad leges illustrandas versus ad partes vocasse, tres, eaeque gravissimae rationes prohibent. Primum, nullam omnino legis Orchiae fecit mentionem. Quis vero credat Gellium in legibus sumptuariis enarrandis tanta socordia versatum esse, ut a secunda initium faceret? Deinde ex lege Fannia ea tantum attulit, quae ad Lucilium explicandum alicujus momenti essent, reliquis, quae teste Plinio [4]) continuit, capitibus neglectis. Haec con-

1) Cf. de tota hac re L. Mercklin, Die Citier-methode und Quellen-benutzung des A. Gellius (Jahrbücher für Philologie 1857—1860, Band III, pag. 696 seqq., ubi plures ejusmodi locos attulit).

2) l. l. pag. 700.

3) Auszüge aus den Schriften des röm. Rechtsgelehrten in den N. A. des A. Gellius. (Abh. der Berliner Acad. der Wissensch. 1851 pag. 33).

4) N. H. X. 50. 139.

tra capita in lege Licinia referenda addidit, quippe quibus ei ad Laevianum locum intelligendum opus esset. Postremum, idque longe gravissimum est argumentum, quid causae esse dicamus, cur noster, si re vera ab initio id ei consilium fuisset, ut sumptuarias leges recenseret, Didiam, quae media est inter Fanniam et Liciniam, silentio praeteriret?

Superest ut demonstrem huic opinioni non solum non repugnare, sed apte etiam convenire, quod earum, quae Liciniam secutae sunt, legum mentio facta est. Etenim quum et nostro loco et XX. 2. Ateji opus generali Conjectaneorum nomine designatum sit, IV. 14 vero et XIV. 7 et 8 duorum librorum numerus inveniatur, jure conjecit Hertz [1]), bis Gellium Conjectanea illa prae manibus habuisse; locos autem sine certo numerorum indicio laudatos ex veterioribus excerptis eum sumpsisse, reliquos vero postea demum annotasse, quum iterum operis illius inspiciendi occasio ei oblata esset.

Quae quum ita sint, — et nemo adhuc repertus est, qui hanc conjecturam ullo idoneo usus argumento in dubium vocaret, nedum labefactaret, — de nostro loco sic statuendum esse puto, Gellium, quum iterum Conjectanea evolveret, ad sumptuarias leges denuo animum attendisse, ut reliquarum legum recensionem prioribus adnotatiunculis adjungeret. Hoc eum modo versatum esse, tam gravibus indiciis constat, ut me quidem judice nihil verius esse videatur. Unde enim factum esse putemus, quod in Fannia Liciniaque legibus sumptuum modum assibus significet, in reliquis vero sestertiis? Et quid causae esse dicamus, cur leges Licinia recentiores summatim

1) Jahrbücher fur Philol. 1862 pag. 55.

tantum et quasi aliud agens exponat, priores vero diligenter et singulatim? At haec omnia admodum probanda in additamento, quod postea, memoria fretus, composuit.

Haec autem si recte et ordine disputata sunt, aequius jam et verius judicare poterimus, quanta fides Gellii recensioni sit habenda. Nam quod posteriores leges negligentius paullo atque incuriosius tractavit, id numquam causa nobis esse debet, cur in Fannia Liciniaque legibus quidquam de fide ejus derogemus. Contra diligentiae, quam in his legibus adhibuit, tam peculiarem rationem esse apparet, ut nunquam inde argumentum peti posse videatur, in ceteris legibus, prae Gellii auctoritate, reliquorum scriptorum fidem parvi esse faciendam. Sic, ut hoc afferam, minime accedere ausim opinioni eorum, qui unius Gellii testimonio freti, duas leges Aemilias fuisse contendant [1]).

Quum igitur satis me domonstrasse putem, nihil obstare quominus summa Gellio in legibus Fannia et Licinia auctoritas attribuatur, sequitur neque Athenaeum, neque Macrobium [2]) ipsum Capitonem inspexisse, quippe quorum de iisdem legibus testimonium adeo a Gelliano differat, ut nullo pacto consociari possint.

Multa vero apud Macrobium occurrere, quae e Gellio fluxerunt, nemo non facile videbit. Primum enim commemorat ejus opinionem de Fanniae legis aetate; deinde Lucilii festivitatis meminit. Quae quum ita sint, jure meo mihi statuere posse videor, non magis accedi oportere eorum senten-

1) Hoc fecerunt Bachius Hist. Jurispr. II. 2. § 56; Boxmann l. l. pag. 43.

2) Aliter de Macrobio Theodor Frederking in libello, quem de Capitone composuerat teste L. Mercklin, Phil. 19 pag. 657.

tiae, qui Macrobii causa Gellium hic illic emendandum esse putarunt, quam eorum, qui Macrobii testimonio Gellium in lege Aemilia erroris absolverunt.

Ceterum de Macrobii commentandi opera haec etiam tenenda sunt. Non tam id egisse videtur, ut in singulas leges diligenter et sedulo inquireret, quam potius hoc ut, quod prioribus capitibus de effervescenti illius aetatis luxuria narrasset, legum etiam exemplo confirmaret. Hoc colligere licet ex brevi, quam commentationi praemisit, praefatiuncula et confirmant praeterea animadversiones, quas subinde interposuit. Quae pleraeque ita comparatae sunt, ut etiamsi forte ad luxuriam cognoscendam sint aptissimae, nullam tamen cum legum argumento habeant conjunctionem. Unde factum est, ut quamquam hic illic nonnulla commemoraverit, quae frustra apud ceteros quaerantur, plerumque tamen de rebus memoratu dignissimis quam paucissimis absolvat, et si quando plenior et uberior oratio procedat, tantam ostendat negligentiam, ut multum de fide ejus derogandum esse statuere liceat. Cujus rei quum plura exempla affere possemus, uno erimus contenti. Legem Liciniam paucis mutatis in plerisque cum Fannia congruere asseverat (§ 8). At de singularum legem argumento ea profert, ut merito rogari possit, quae tandem esset illa similitudo!

Jam sequitur, ut paucis videamus de legum sumptuariarum aetate. Legem Oppiam assignandam esse anno 539/215 tam gravibus indiciis constat, ut nihil sit certius. Narrat enim

Livius XXXIV. 1. hanc legem tulisse C. Oppium Q. Fabio T. Sempronio consulibus; ac paullo post (cap. 8) eam abrogatam esse viginti annis postquam lata sit. Annum autem quo abrogata est, fuisse 559/195 ideo constat, quod Cato consul pro ea lege orationem habuit [1]).

Majorem difficultatem afferunt sequentes leges. Haud raro enim aetatis indicia aut prorsus desunt, aut ita sunt dubia, ut arduum sit certum aliquod tempus singulis legibus definire; unde factum est, ut diversissima quaeque de una eademque lege ab interpretibus sint proposita.

Lex Orchia teste Macrobio lata est tertio anno quam Cato censor fuerat. Atqui Cato censura functum esse constat anno 570/184; ergo adnumeratis annis extremis lata est lex anno 572/182 [2]). Egregie huic accomodatum est, quod Macrobius tradit post annum vicesimum secundum legis Orchiae Fanniam legem latam esse. Nam Romano more deductione facta conficitur, credo, numerus 161. Eodem redit Plinii testimonium, latam esse legem Fanniam undecim annis ante tertium Punicum bellum; modo teneamus bellum illud indictum esse anno 604/150 [3]). Postremum, ne quid praetermittam, illud quoque commemorandum, Gellium, Serenum Sammonicum (apud Macrobium), Plinium [4]) diserte narrare Fannium consulem hanc legem

1) Cf. Zon. IX. 17.

2) Sic recte, si quid video, rationem iniit Varges Spec. Quaest. Lucil. (Mus. Rhen. III. pag. 41), quem neminem adhuc secutum esse valde miror. Nam, ut hoc addam, si, ut vulgaris fert opinio, lex Orchia anno 573/181 lata sit, unde factum esse putemus ut Livius, hoc anno legem Corneliam Baebiam datam esse commemorans (XL. 19. 11), nullam omnino nostrae legis fecerit mentionem?

3) Cf. Liv. Ep. XLIX.

4) N. H. X. 50, 139.

dedisse [1]). Didia lex lata est anno 611/143, utpote quae auctore Macrobio, post annos decem et octo Fanniam sit secuta.

De legis Aemiliae aetate nihil opus est disserere, quum Plinius et Aurelius Victor [2]) M. Aemilium Scaurum in consulatu eum dedisse diserte affirment. Lata est igitur anno 639/115.

Liciniae vero legis aetatis indicia, si quae alia, dubia sunt et vaga. Crassum consulem anno 657/97 hanc legem tulisse auctor est Manutius, qui (de legg c. 18) sumptuarias leges praeter Orchiam omnes nuncupat consulares. In eandem sententiam abduci se passi sunt Bayle (Lex. crit. et hist.), Heinneccius (Hist. Jur. pag. 100 § 1) Bach (Hist. Jur. II. 2. § 67), Boxman (l. l. pag. 44), Creuzer (Antiq. Rom. pag. 283), Weichert (de Laevio poeta § 7). Quos quominus sequamur multae prohibent rationes. Ac primum quidem neque Orchia neque Didia leges consulares fuere, et Serenus Sammonicus apud Macrobium diserte affirmat, plerasque leges a tribunis aut praetoribus latas esse. Deinde Gellius auctor est Lucilium hujus legis meminisse; Eusebius autem in Chronicorum libro posteriore ad Olymp. 169 (ab Urb. $65^1/_2$) annotavit: „C. Lucilius satirarum scriptor Neapoli moritur ac publico funere effertur anno aetatis suae 46;" quum autem non sit, cur Eusebium erroris arguamus, sequitur jam sic nullo pacto fieri potuisse, ut Crassus consul hanc legem dederit.

Sed plura accedunt. Narrat Valerius Maximus [3]) M. Antonium et L. Flaccum, qui anno 657/97 censores fuerunt,

1) Consulem fuisse Fannium anno 593/161 praeterquam ex Plinii loco effici potest ex Terentii Eunucho et Phormione.

2) H. N. VIII. 57. de Vir. Illust. 72.

3) IX. 9. 5.

Duronium quendam senatu movisse, quod tribunus plebis legem de coercendis conviviorum sumptibus abrogasset. At legem illam Liciniam fuisse, lubens assentior Boxmanno (pag. 48), quippe qua in lege ferenda, exolescente metu antiquioris, quaesitam novae legis auctoritatem esse narret Macrobius. Quandoquidem porro anno 656/98 lata est lex Caecilia Didia, quae optimatium gratia jubebat in promulgandis legibus trinundinum tempus observari, credibile equidem non puto, jam sequenti anno ipsorum exemplo hanc eandem legem neglectam esse. Quod tamen factum esset, si Crassus consul legem tulisset; audiamus modo Macrobium: „Post Didiam Licinia lex lata est, cujus ferundae probandaeque tantum studium ab optimatibus impensum est, ut consulto senatus juberetur, ut ea tantummodo promulgata, priusquam trinundino probaretur, ita ab omnibus observaretur, quasi jam populi sententia comprobata."

Varges (l. l. pag. 42). Crassum tribunum plebem legem tulisse contendit, cui tamen opinioni, quum nullo idoneo argumento nitatur, multa repugnare videntur. Nam ut hoc omittam, quod contra Varges attulit Wuellner [1]), Sammonicum affirmare leges sumptuarias aut praetores ant tribunos aut consules tulisse, in superioribus vero nullam a praetore ullo rogatam esse, (nam de Didia lege nihil constat), duae praeterea sunt causae, quibus negem Liciniam legem incidisse in annum 643/111, quo anno tribunatu Crassus functus est. Quas causas, quum in harum legum consilio sint positae,

1) De Laevio poeta (Monasterii 1830) pag. 7.

tunc expositurus sum, quum ad hanc disputationis partem pervenero; hic monere satis esto, mea quidem sententia, Crassum praetorem anno 650/104 legem, de qua agimus, dedisse.

Corneliam legem Sullam dictatorem dedisse anno 673/81 constat inter omnes. Ad legem Antiam vero quod attinet, praeter Gellium et Macrobium neminem ejus mentionem fecisse reperies. Illi autem quum id tantum affirment, eam paucis interjectis annis post Corneliam latam esse, satius visum est ignorantiam profiteri, quam in tam densis tenebris conjectandi studio indulgere et nubes captare.

Hisce de fontibus deque aetate praemissis, pergimus ad singularum legum expositionem.

LEX OPPIA.

Liv. XXXIV. 1. „.... ne qua mulier plus semunciam auri haberet, nec vestimento versicolori uteretur, nec juncto vehiculo in urbe oppidove aut propius inde mille passus nisi sacrorum publicorum causa veheretur." (Cf. Val. Max. IX. 1. 3. Orosius IV. 20.)

Vestimentum versicolor quid sit, ostendit Liv. l. l. c. 3. 9: „ut auro et purpura fulgeamus" (cf. c. 7. 3. „feminis dumtaxat purpurae usu interdicemus"). Unde apparet versicolor vestimentum purpureum dici, quod, si movetur, colorem varium habet et subinde mutat. In errore igitur versatus est Valerius Maximus l. l. quum vestem versicolorem varii coloris ves-

tem interpretaretur. Obiter etiam monendum est, veteres in nimia auri purpuraeque affectatione meretricii quoddam vidisse. Cf. Plaut. Mostell. I. 3. 128, 130; Paenul. I. 2. 93, 94; Curc. II. 3. 69.

Junctis vehiculis carpenta et pilenta significari, apparet ex verbis Catonis (Liv. l. l. c. 3. 9.): „ut carpentis festis profestisque diebus per urbem vectamur." Neque ambigendum est, quin nobiles tantum feminae hujusmodi vehiculis uterentur. Audiamus modo Liv. V. 25. 9: „grata ea res ut quae maxime senatui umquam fuit; honoremque ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, ut pilento ad sacra ludosque, carpentis festo profestoque uterentur." In qua re nihil, opinor, praemii foret si pilentorum aut carpentorum usus promiscuus fuisset. Oppiam legem etiam intellexisse videtur Plutarchus Quaest. Rom. LVI. „*λέγεται γάρ τις λογός, ὡς ἐκωλύθησαν ὑπὸ τῆς βουλῆς αἱ γυναῖκες ὀχήμασι χρῆσθαι ζευκτοῖς, συνέθεντο ἀλλήλαις μὴ κυΐσκεσθαι, μηδὲ τίκτειν, ἀμυνόμεναι τοὺς ἄνδρας, ἄχρις οὗ μετέγνωσαν καὶ συνεχώρησαν αὐταῖς.*"

Hanc legem non ita anxie observatam esse, apparet ex oratione, quam anno 545/210 Laevinus consul in senatu habuit. Liv. XXVI. 36: „aurum.... senatores in publicum conferamus ita ut.... quibus uxor filiaeve sunt, singulas uncias pondo auri relinquant." (Cf. Orosius IV. 17).

LEX ORCHIA.

Macrobius l. l. § 2: „Prima autem omnium de cenis lex ad populum Orchia pervenit.... cujus verba, quia sunt prolixa praetereo; summa autem ejus praescribebat numerum convivarum."

Quinam autem is numerus fecerit, facile est intelligere; etenim quum dicat Macrobius (§ 5) Fanniae legis severitatem in eo superare Orchiam, quod praeter numerum convivarum etiam sumptibus modum fecit, idem numerus, qui in Fannia, etiam in Orchia fuisse videtur. Jussit itaque „*τριῶν μὲν πλείονας τῶν ἔξω τῆς οἰκίας μὴ ὑποδέχεσθαι, κατ' ἀγορὰν δὲ τῶν πέντε.* (Ath. VI. 108).

SENATUS CONSULTUM.

Gell. l. l. § 2. „Legi adeo nuper in Capitonis Ateji

Conjectaneis senatus decretum vetus, C. Fannio et M. Valerio Messalla consulibus factum, in quo jubentur principes civitatis, qui ludis Megalensibus antiquo ritu mutitarent, id est mutua inter sese dominia agitarent, jurare apud consules verbis conceptis non amplius in singulas cenas sumptus esse facturos, quam centenos vicenosque aeris praeter olus et far et vinum, neque vino alienigena sed patriae usuros, neque argenti in convivio plus pondo, quam libras centum illaturos.

Ludi Megalenses, sive Megalesia in honorem Matris deum instituebantur pridie Nonas Aprilis. Produci solebant ad a. d. V Idus Apriles (Cf. Ovid. Fast. IV, 179—372).

De mutiis conviviis vide Cic. Cat. Maj. 13. 45. „Sodalitates autem me quaestore constitutae sunt, sacris Idaeis Magnae Matris acceptis. Epulabar igitur cum sodalibus omnino modice, cet." Unde mutitandi consuetudo nata sit, explicat Ovid. Fastt. IV, 353—360.

Antequam de reliquis legibus agimus, prius illud animadvertatur, vulgo pleraque capita leges cibarias continuisse. Plin. X. 50. 139: „.... exceptum invenio lege C. Fannii, ne quid volucre poneretur.... quod deinde caput tralaticium per omnes leges ambulavit." Capitum autem numerum si quis quaerat, equidem conjicere haud dubitaverim tria fere semper fuisse, quorum primo cautum sit de numero convivarum, secundum sumptibus modum definierit, tertium quae ciborum genera apponere liceret, praescripserit. Cujus opinionis ut rationes reddam, testem producam Athenaeum VI. 108. „'Εκέλευε δ' ὁ νόμος τριῶν μὲν πλείονας τῶν ἔξω τῆς οἰκίας μὴ ὑποδέχεσθαι, κατ' ἀγορὰν δὲ τῶν πέντε. // ὀψωνεῖν δὲ πλείονος

τῶν δυοῖν δραχμῶν καὶ ἡμίσους οὐκ ἐπέτρεπε //. *κρέως δὲ καπνιστοῦ πεντεκαίδεκα τάλαντα δαπανᾶν εἰς τὸν ἐνιαυτὸν ἐπεχώρει, καὶ ὅσα γῆ φέρει λάχανα καὶ ὀσπρίων ἑψήματα.*" (Cf. Plin. l. l.)

Haec etsi cui forte minoris momenti esse videntur, ideo tamen non praetermittenda censebam, quia sperabam fore ut nonnihil valerent ad intelligendum, quemadmodum fieri posset, ut Macrobius in lege Cornelia referenda aperte cum Gellio pugnaret. Quid enim si statuamus, legis capita singulatim tradita esse et alium aliud sub oculis habuisse? Omnino autem satius duco hanc explicandi viam inire, quam Bacchii [1]) exemplum sequi, qui ut Macrobium cum Gellio in concordiam redigeret, non et nec accipiendum putavit pro non tantum, verum pro verum etiam! Sed redeamus ad leges.

LEX FANNIA.

a. Athenaeus VI. 108. „*Ἐκέλευε δ' ὁ νόμος τριῶν μὲν πλείονας τῶν ἔξω τῆς οἰκίας μὴ ὑποδέχεσθαι, κατ' ἀγορὰν δὲ τῶν πέντε.*"

b. Gell. II. 24. 3. „.... lex Fannia lata est, quae ludis Romanis, item ludis plebejis et Saturnalibus et aliis quibusdam diebus in singulos dies centenos aeris insumi concessit, decemque aliis diebus in singulis mensibus tricenos, ceteris autem diebus omnibus denos."

Ath. l. l. „*ὀψωνεῖν δὲ πλείονος τῶν δυοῖν δραχμῶν καὶ ἡμίσους οὐκ ἐπέτρεπε.*"

c. Plin. H. N. X. 50. 139. „Gallinas saginare Deliaci coe-

---

1) In notis ad lib. II. 2. § 74.

pere, unde pestis exorta opimas aves et suopte corpore unctas devorandi. Hoc primum antiquis cenarum interdictis exceptum invenio jam lege C. Fannii consulis, ...ne quid volucre poneretur praeter unam gallinam, quae non esset altilis."

Athen. l. l. „Κρέως δὲ καπνιστοῦ πεντεκαίδεκα τάλαντα δαπανᾶν εἰς τὸν ἐνιαυτὸν ἐπεχώρει, καὶ ὅσα γῆ φέρει λάχανα καὶ ὀσπρίων ἑψήματα."

Ad sumptuum modum quod attinet, in errore versatus est Athenaeus, nam δραχμή valet denarium [1]), denarius autem quattuor sertestiis constat; quum autem in sestertium conferantur quattuor asses, secundum Athenaeum quadraginta asses Fannius impendere concessit. Sed quum supra jam ostenderimus quam verisimile sit Gellium in commentando ipsa legis verba sub oculis habuisse, nihil credo obstat, quominus Athenaei testimonium missum faciamus. Neque hos discrepare mirum, quandoquidem ex Gellio apparet jam ipsos antiquos commentariorum in Lucilium scriptores inter se dissensisse. Alios quosdam dies cum Gronovio eos intelligendos esse, quos publica vel privata solemnitas faceret insignes, patet ex lege Licinia, qua diebus nuptiarum ducenos aeris insumere licebat. Itaque inter decem alios dies numerandae sunt Kalendae, Idus, Nonae et Nundinae, quippe quibus aliis quoque legibus majores impensas fieri concessum esset.

LEX AEMILIA.

Plin. N. H. VIII. 57. 223. „Saurices et ipsos hieme condi auctor est Nigidius, sicut glires, quos censoriae leges principesque M. Scaurus in consulatu non alio modo cenis ade-

---

1) Cf. Mommsen Geschichte des Röm. Münzwesens pag. 31. Eandem rationem iniit J. F. Gronovius Resid. cap. pec. vet. pag. 663; et vehementer errat Boxman, auctore Gronovio 2½ drachmas 30 asses valuisse asseverans (pag. 40).

mere, ac conchylia aut ex alio orbe convectas avis." (Cf. Aur. Vict. de vir. ill. c. 72).

De gliribus et glirariis si quis plura scire cupiat, adeat Varro R. R. III. 15; 16. 17; Non. i. v. glis; Apicius Ars. coq. VIII. 9.

LEX LICINIA.

Gell. l. l. § 6. „Lex deinde Licinia rogata est, quae quum certis diebus, sicuti Fannia, centenos aeris impendi permisisset, nuptis ducenos indulsit ceterisque diebus statuit aeris tricenos, quum et carnis autem et salsamenti certa pondera in singulos dies constituisset; quidquid esset tamen e terra, vite, arbore, promiscue atque indefinite largita est."

Macrobius l. l. § 9. „Legis Liciniae summa ut Kalendis Nonis Nundinis Romanis cuique in dies singulos triginta dumtaxat asses edundi causa consumere liceret, ceteris vero diebus, qui excepti non essent, ne amplius daretur, apponeretur quam carnis aridae pondo tria et salsamentorum pondo libra et quod ex terra vite arboreve sit natum."

Festus P. 54. „Centenariae cenae dicebantur, in quas lege Licinia non plus centussibus praeter terra nata impendebantur."

Gellii et Macrobii verba quum magnopere differant inter se, nec ullo modo conciliari possint, Boxman Gellii verba conjectura sanare aggressus, pro certis legendum proponit festis, pro ceteris certis. Nobis vero, qui de utriusque fide melius jam judicare possimus, tutius videtur manu

temperare, et ex ipso Gellio Gellium interpretari. Quam viam si inierimus, reperiemus haec. Certis diebus significavit Kalendas, Nonas et alios quosdam festos dies, qui dies similiter conjuncti sunt legibus Cornelia et Julia. His igitur idem sumptus praefinitus esset atque legibus Licinia et Fannia. Quae tamen eo differunt, quod in hac nuptiae cum festis diebus conjunctae sunt, Kal. Non. et Id. singulatim memorantur; in illa vero Kal. cet. festis diebus sunt additae, nuptiis autem major sumptus est concessus. Quod fugisse videtur Boxman, quum pro certis emendaret festis, quasi dies, quibus nuptiae celebrantur, festi non sint. Ceteris porro diebus, quibus denos constituerat lex Fannia, tricenos Crassus praescripsit. A verisimilitudine haud multum abhorrere nostram interpretationem affirmaverim etiam hoc argumento nisus, quod crescentis luxuriae rationem habet; Boxmanno vero si assentiaris, confitearis necesse est, eadem pretia diversis illis temporibus definita esse.

LEX CORNELIA.

Gell. l. l. § 11. „Postea L. Sulla dictator . . . . legem ad populum tulit, qua cautum est, ut Kalendis, Idibus, Nonis diebusque ludorum et feriis quibusdam solemnibus sertertios trecenos in cenam sumere jus potestasque esset; ceteris autem diebus omnibus non amplius tricenos" [1]).

Macrobius l. l. § 11. „. . . . lex Cornelia, quam tulit Cornelius Sulla dictator, in qua non conviviorum magnificentia prohibita est, nec gulae modus factus, verum minora pretia rebus imposita, et quibus rebus di boni, quamque exquisitis et paene incognitis generibus deliciarum! quos illic pisces quosque offulos nominat

1) Sic enim cum Hotomano legendum censeo, ut crescentis luxuriae ratio habeatur. Plerumque enim in his legibus observatum est, ut aucta sumptuum magnitudine, antiqua renovarent.

et tamen pretia illis minora constituit. Ausim dicere ut vilitas edulium animos hominum ad parandas obsoniorum copias incitaret, ut gulae servire etiam qui parvis essent facultatibus possent."

Quid haec ad sumptus minuendos faciant, equidem nullus video.

Praeterea tralaticium caput lex continuisse videtur, quo permittebatur usus eorum quae ex terra, vite vel arbore nascebantur. Audi Ciceronem qui Epist. ad fam. VII. 26. 2. narrans Gallo, se decimum jam diem graviter ex intestinis laborare, „attamen" inquit „ne mirere, unde hoc acciderit, quomodove commiserim: lex sumptuaria, quae videtur λιτότητα attulisse, ea mihi fraudi fuit. Nam dum volunt isti lauta terra nata, quae lege excepta sunt, in honorem adducere fungos herbos omnes ita condiunt, ut nihil possit esse suavius. In eos quum incidissem in coena inaugurali apud Lentulum, tanta me διάρροια arripuit, ut hodie primum videatur consistere. Ita ego, qui me ostreis et muraenis facile abstinebam a beta et a malva deceptus sum." Nam Ciceronem, quum haec scriberet de Cornelia, non de Licinia lege cogitasse pro certo affirmare ausim etiam hoc argumento ductus, quod testatur Gellius ideo Sullam legem sumptuariam tulisse, quod superiores situ atque senio essent obliteratae.

Sullam etiam legem dedisse qua funerum sumptus minuerentur, patet ex Plut. Sulla pag. 474.

Quum porro ex L. 3 D. de Aleatoribus appareat Cornelia lege fuisse prohibitum, ne quis in pecuniam luderet, sponsionemve in ludo nisi qui virtutis causa susceptus esset, faceret, cujus legis etiam mentionem facere videtur Cicero Phil. II. 23, neque absurda neque temeraria videtur Boxmanni suspicio, totam materiam quam nos „politie" vocamus, una lege Sullam ordinasse, eamque ex pluribus capitibus fuisse compositam.

Superiore capite optimatium mores inde a M'. Curii usque ad Catonis aetatem paullo diligentius examinavimus, unde natae sunt complures eaeque subinde longiores digressiones,

quae etsi cui forte minus ad propositum facere videntur, tamen pleraeque earum aliquam cum nostro argumento habent necessitudinem. Quum enim in hujus disputationis ingressu paucis exposuissem, quae causa nobilitatem impulisset, ut civium morum censuram agerent, non supervacaneam operam me facturum fuisse putavi, si Romanorum exemplo ostenderem, morum integritatem tantum optimatium dominationi praesidium fuisse, ut illis vigentibus floreret, lapsis vero corrueret. Vidimus simul huic integritati nihil magis nocuisse quam luxuriam; censores autem, qui intelligerent singulorum aberrationibus omnium potentiam periclitari, luxuriam et mollitiem omni ratione impugnasse. Verum tamen jam sic grassaraverat malum atque per omnem nobilitatem manaverat, tantaque quotidie ex novis divitiis perigrinisque moribus incrementa capiebat, ut neque principum virorum exemplo, neque censorum severitate radicitus evelli posset. Itaque censores, postquam morum integritatis virtutisque causam frustra per notam suam a luxuriosis vindicaverant, ut per aliam deinceps viam nobilitatem ad bonam frugem compellerent, auctores fuere sumptuariarum legum ferendarum.

Boxman in recensendis legibus sumptuariis libera republica latis, initium fecit a lege Metilia [1]). Quidnam autem illa lege praesciptum sit, penitus ignorari putat vir doctissimus; inter sumptuarias tamen eam rettulit, fretus loco Plinii, qui quum modum poliendarum vestium describat, ait XXXV. 17. 57: „neque enim pigebit hanc quoque partem attingere, quum lex Metilia exstet fullonibus data, quam C. Flaminius, L. Aemi-

1) l. l. p. 34.

lius censores dedere ad populum ferendam. In eandem sententiam ivit Lange, „Die Besserung der Nobilität, die er (Flaminius) durch censorische Rüge nicht hatte persönlich verletzen wollen, suchte er in loyaler Weise auf dem Wege der Gesetzgebung zu erreichen. Da er als Censor nicht selbst die Initiative zur Legislation hatte, so veranlasste er Tribunen zur Beantragung der ihm nothwendig erscheinende Gesetze. Gegen den Kleiderluxus der Vornehmen, der sich damals besonders in dem Weisen der Toga mit Kreide(!) Kund gab, und ohne Zweifel, wie schon früher und auch nachher ein Mittel bei der Amtsbewerbung was, veranlasste er die tribunicische lex Metilia, welche zunächst gegen die Zunft der Walker (fullones) gerichtet war, und diesen wahrscheinlich Strafe androhte, wenn sie die Vorschriften über die Zubereitung des Tuchs überschritten" [1]).

Pauca admodum nobis ex veterum scriptorum testimoniis de hac lege constant, sed satis, opinor, apparet eam non optimatium commodis inserviisse. Nam supra jam vidimus non eum fuisse Flaminium, qui pro nobilitatis commodis tamquam pro aris ac focis dimicandum censeret; ac qualis fuerit Metilii erga optimates animus, satis superque demonstrat lex, quam contra Q. Fabium promulgavit de aequando magistri equitum et dictatoris jure [2]).

Quandoquidem igitur supra posui, leges sumptuarias hac aetate ad optimatium potestatem confirmandam latas esse, fieri non potest, quin aut ego fallar, aut Boxman et Lange erraverint, quum hanc legem inter sumptuarias numerant.

---

1) l. l. II. pag. 150. 2) Liv. XXII. 25 cf. Polyb. III. 104.

Illos autem errasse ut probem, producam locum Liv. IV. 25. 9: „Interim Romae principes plebis jam diu nequicquam imminentes spei majoris honoris, dum foris otium esset, coetus indicere in domus tribunorum plebis; ibi secreta consilia agitare; queri se a plebe adeo spretos, ut quum per tot annos tribuni militum consulari potestate creentur, nulli unquam plebejo ad eum honorem aditus fuerit. Multum providisse suos majores, qui caverint, ne cui patricio plebei magistratus paterent; aut patricios habendos fuisse tribunos plebi: adeo se suis etiam sordere, nec a plebe minus quam a patricibus contemni. Alii purgare plebem, culpam in patres vertere; eorum ambitione artibusque fieri, ut obseptum plebi sit ad honorem iter. Si plebi respirare ab eorum mixtis precibus minisque liceat, memorem eam suorum inituram suffragia esse, et parto auxilio, imperium quoque adscituram. Placet tollendae ambitionis causa legem promulgare, ne cui album in vestimentum addere petitionis liceret causa." Itaque non multum fallimur, opinor, si statuamus, Metilio non id fuisse consilium ut caveret, ne quid in vestibus poliendis superflui sumptus fieret, sed potius hoc, ut nimiae optimatium ambitioni, popularibus viris molestissimae, frena inhiberet. Haec legis ratio unusquisque videt, quantopere conveniat cum lege Claudia, quam auctore Flaminio contra nobilitatem factam esse in superiore capite ostendimus.

Atque ita quasi sponte pervenimus ad legem Oppiam. Quae huic legi promulgandae causa fuerit ipsum indicat tempus, quo lata est. „Hannibal in Italia erat, victor ad Cannas; jam Tarentum, jam Arpos, jam Capuam habebat; ad urbem

Romam admoturus exercitum videbatur" [1]). Harum rerum adversarum culpa imputabatur plebei fautoribus, qui quum duces se praebuissent populo ad Hannibalis copias profligandas, suspiciebantur tamquam magni videlicet viri et rei militaris peritissimi, veluti C. Flaminius, C. Terentius Varro. Dum sic turbatorum illorum opera vexabatur ac fere pessumdabatur respublica, rursus optimatium crescebat potentia: hos enim sperabant ex infortunio ad meliorem conditionem civitatem esse traducturos. Itaque reipublicae procuratio ad nobilitatem rediit. Hujus autem melior pars optime intellexit, ipsorum vitiis factum esse, ut populus eorum auctoritate spreta Flaminium secutus esset. Etenim ita rempublicam administrarant ut impotenti atque superba sua dominatione popularis regiminis desiderium movissent. Itaque de remediis cogitantes legem Oppiam tulerunt. Scilicet indignum esse videbant, in tanta inopia et miseria civitatis luxuriae nobiles deditos esse, quum potius divitiae eorum in usum publicum essent vertendae.

Hanc veram hujus legis rationem esse, et ad solam nobilitatem eam pertinere, jure quodam affirmare nobis videmur. Primum enim prohibuit mulieres ab earum rerum usu, quae ad solos divites pertinent. Deinde de sociorum mulieribus nihil sanxit, quarum tamen similis erat luxuria teste L. Valerio trib. pleb., cujus verba haec sunt [2]): „At hercle universis (mulieribus) dolor et indignatio est, quum sociorum Latini nominis vident ea concessa ornamenta, quae sibi adempta

1) Liv. XXXIV. 6.
2) Liv. XXXIV. 7. 5.

sint, quum insignes eas esse auro et purpuro, cum illas vehi per urbem, se pedibus sequi, tamquam in illarum civitatibus, non in sua imperium sit." Postremum hoc est, quod quum viginti annis elapsis M. Fundanius et L. Valerius trib. pleb. rogationem ferrent de hac lege abroganda, Cato [1]), quique cum eo faciebant, omni opere illis resistebant; altera vero nobilium pars, qui paucorum dominationi favebant, abrogationi suffragati sunt, scilicet libenter quidquid arripientes, quod ad aequalitatem tollendam valeret.

Ceterum illud quoque tenendum, ad mulierum tantum luxuriam hanc legem spectasse. Erunt fortasse, quibus hoc cum ea, quam de ejusmodi legum consilio atque ratione habemus opinionem minus videantur consentire et repugnantiae quandam speciem prae se ferre. Minus recte tamen, si quid video. Nimirum in aristocratica regiminis forma mulierum vivendi agendique ratio admodum semper curae fuit legislatoribus. Quod ut verissime dictum appareat, attendamus quantam curam Lycurgus in hanc rem impenderit, atque recordemur, quae de Syracusanis ex Athenaeo supra attulimus [2]).

Romanis vero peculiaris ejus rei accedebat causa. Etenim procedente tempore magis magisque recesserant a priscis institutis, quibus jus familiae nitebatur. Sic non solum nuptiae inter consobrinos contractae ratae habebantur, sed rarius etiam fieri solebat, ut uxores in manum maritorum convenirent. Tutelae porro agnatorum mulieres se substrahebant, ex

1) Vide orationem ejus apud Liv. XXXIV. cap. 2—5.

2) Cf. porro orationem Severi Caecinae apud Tac. Ann. III. 33.

quo iis permissum erat, quem vellent tutorem ipsae sibi eligere [1]). Quum mulieres igitur in vita privata eam adeptae essent libertatem, quae a Romanorum moribus et institutis prorsus abhorreret, periculum oriebatur, ne in rebus publicis quoque eo crescerent auctoritatis et potentiae, ut viros sibi obnoxios facere conarentur. Neque vanum hujus periculi metum fuisse docent verba Catonis apud Gellium XVII. 6: „Principio vobis mulier magnam dotem attulit, tum magnam pecuniam recipit, quam in viri potestatem non committat; eam pecuniam viro mutuam dat, postea, ubi irata facta est, servum recepticium sectari atque flagitare virum jubet." Fieri non potuit, quin hisce mutatis mulierum conditionibus omnia subverterentur in ea civitate, in qua familiae jus totum niteretur patrisfamilias omnipotentia [2]). Quae quum ita sint, facile intelligitur Oppiam similesque leges, quibus muliebris impotentia et luxuria reprimerentur, gratas admodum acceptasque fuisse iis ex nobilitate, qui rempublicam stare non posse existimarent, nisi patriis viveretur institutis atque moribus.

Eadem igitur ratione adductus, qua legis Oppiae abrogationi se opposuit, Cato „voce magna et bonis lateribus" [3]) suasit legem Voconiam. Lata erat haec lex a Q. Voconia Saxa trib. pleb. anno 585/169 [4]), cavebatque ne is qui centum milia aeris census esset, heredem virginem mulieremve insti-

1) Gaj. I. 150. Cf. praemia, quae a senatu Feceniae Hispalae propter indicium de Bacchanalibus decreta sunt. (Liv. XXXIX. 19. 5).

2) Cf. Hasse, Zur lex Voconia. (Mus. Rhen. III. pag. 198); Lange l. l. II. pag. 278 seqq.; Von Vangerow, Die lex Voconia pag. 6—8.

3) Cic. Cat. Maj. c. 5.

4) Hoc anno latum esse hanc legem contra Kind (de lege Voc.), Zumpt (ad

tueret" [1]). Cujus legis, quamquam non directe ad sumptus minuendos pertinet, ideo mentionem feci, quod ex eadem ratione atque sumptuariae petita esse videbatur. Etenim nobilitatis gratia rogata est, ne licentia et luxuria feminarum, supra modum crescentes, illius auctoritati nocerent, et simul ne nobilium familiarum divitiae in minutas partes divisae dissiparentur [2]).

Verum ne nimis longe a proposito nostro aberremus, jam eo unde paulisper digressa est, nostra redeat oratio. Luxus igitur apud omnes fere populos hoc proprium est, ut in tribus deinceps rebus conspicua sit, in cultu corporis, in amplitudine et ornatu aedium, in apparatu conviviorum. Hunc ordinem apud Romanos quoque luxum secutum esse, colligere licet ex Senecae Epist. CXIV: „Ubi luxuriam late felicitas fundit, cultus primum corporum esse diligentior incipit; deinde suppellectili laboratur; deinde in ipsas domos impenditur cura, ut in laxitatem ruris excurrant, ut parietes advectis trans maria fulgeant, ut tecta varientur auro, ut lacunaribus pavimentorum respondeat nitor: deinde ad coenas lautitia transfertur, et illic commendatio ex novitate et soliti ordinis commutatione captatur: ut ea, quae claudere coenam solent prima ponantur, ut quae advenientibus dabantur, exeuntibus dentur." Idem olligere licet porro ex legibus quae apud illos ad luxuriam coercendam deinceps

---

Cic. Verr. pag. 183 seqq.) optime defendit von Vangerow (l. l. pag. 1 et 2) fretus locis Cic. in Verr. I. 41; Cat. Maj. c. 5. Ejus sententiam secutus est Lange R. A. II. pag. 280.

1) Gaj. II. 274. Cf. porro Cic. in Verr. I. 42; de Rep. III. 10.

2) Cf. Gajus II. 226: „Ideo postea lata est lex Voconia, qua cautum est, ne cui plus legatorum nomine mortisve causa capere liceret, quam heredes caperent.

latae sunt. De lege Oppia, quae nimias in corporis cultum impensas fieri vetuit, jam egimus; prima autem, ut Macrobii verbis utar, de coenis [1]) lex Orchia ad populum pervenit. Quid hac lege praescriptum fuerit, supra jam vidimus; de ejus consilio ac ratione nunc agamus.

Priscae Romanorum frugalitati multum nocuisse divitias in Graecia et Asia comparatas et per se verisimile est et diserte narrat Livius, cujus verba de hac re supra attulimus. Ex hujus modi autem corruptela fieri non poterat, quin gravissimum nobilium potentia caperet detrimentum, quippe quae hoc imprimis fundamento nitatur, ut singuli morum severitate, omnique in vitae cultu simplicitate et laboris patientia venerabiles, ad imperandum humilioribus nati esse videantur. Longe autem ab hac ratione recessisse Romanos optimates ut demonstrem, describam fragmentum orationis, qua C. Titius quidam Fanniam legem suasit teste Macrobio III. 16. 15. „Ludunt alea studiose, delibuti unguentis, scortis stipati. Ubi horae decem sunt, jubent puerum vocari ut comitium eat percontatum, quid in foro gestum sit, qui suaserint, qui dissuaserint, quot tribus jusserint, quot vetuerint. Inde ad comitium vadunt, ne litem suam faciant. Dum eunt, nulla est in angiporto amphora, quam non impleant, quippe qui vesicam plenam vini habeant. Veniunt in comitium, tristes jubent dicere. Quorum negotium est, narrant, judex testes poscit, ipsus it minctum. Ubi redit, ait se ommia audivisse, tabulas poscit, literas inspicit: vix prae vino sustinet palpe-

1) Quantam curam quantosque sumptus Romani in gulam impenderint, si quis scire cupiat, in primis legat Varr. De R. R. III. Cf. etiam Dureau de la Malle Economie politique des Romains T. II. c. 18, 19. 20.

bras. Eunt in consilium. Ibi haec oratio: quid mihi negotii est cum istis nugatoribus, quin potius potamus mulsum mixtum vino Graeco, edimus turdum pinguem bonumque piscem, lupum germanum qui inter duos pontes captus fuit?" Haec si reputemus facile intelligitur, quid huic legi ferendae ansam dederit. Huic tamen causae altera accedebat, de qua jam dicendum est.

Etenim erant inter optimates ambitiosi homines, qui adeo se opibus atque auctoritate efferebant, ut sensim in ceteros dominari coepissent, et id praecipuum haberent, ut vel cum reliquorum detrimento suam quavis ratione firmarent potentiam [1]). Horum autem studiis effectum est, ut reliqui, de sua ipsorum potentia anxii et metuentes, omni ratione providere conarentur, quominus ambitiosi illi ad graviora appetenda nanciscerentur occasionem. Ex hoc, ni fallimur, oppositionis studio profecta est lex Cornelia Baebia de ambitu, quam anno, postquam Orchius suam legem rogavit, consules ex auctoritate senatus ad populum tulerunt. Ex eodem fonte manasse puto sumptuariam, de qua agimus, legem.

Quod quo plenius intelligatur, attendamus quid Fanniae legi antecesserit. C. Fannio et M. Valerio Messalla consulibus senatus consultum factum esse vidimus, in quo juberentur p r i n c i p e s c i v i t a t i s jurare apud consules conceptis verbis se non majores in singulas cenas sumptus esse facturos, quam centenos vicenosque aeris, praeter olus et far et vinum; neque vino alienigena sed patriae usuros, neque argenti in convivio plus pondo quam libras centum illaturos [2]). Quan-

1) Cf. Mommsen l. l. I. pag. 834. Lange l. l. II. pag. 242.

2) Gell. II. 24. Aliud de hoc senatus consulto judicium fecit Lange II,

tam vim ad ambitum augendum habuerint lautae illae epulae, per se satis credo manifestum est; magis etiam hoc perspicuum erit, si legem Antiam commemoravero, qua cautum erat „ut qui magistratus esset magistratumue capturus esset, ne quo ad coenam nisi ad certas personas itaret" [1]).

Mirabitur fortasse quispiam, qui factum sit ut statim post hoc senatus consultum eadem res iterum lege prohiberetur. Attamen lex Fannia non primores tantum civitatis sed totum populum obligabat. Aliud ergo fuit senatus consulti, aliud legis argumentum; diversa ergo etiam utriusque ratio atque consilium. De iis autem jam sequitur ut videamus.

Post victorias de Carthagine, Graecia, Asia reportatas nobiles quum provinciis administrandis tum vectigalibus redimendis ingentem divitiarum copiam sibi comparasse nota res est. Plebs vero ad summam inopiam erat redacta, quum praesertim, rustica prole punico bello secundo aut consumpta aut hostium populationibus fundis privata aereque alieno obruta, omnis agri tam publici quam privati possessio ad ditio-

---

pag. 291. („Offenbar um mit gutem Beispiele den geringeren Standen voranzugehen"). At supra jam monui de vini usu et de argenti copia longe aliter esse sentiendum; itaque non metuo, ne nimis audacter agere videar, si statuam totum hoc senatus consultum non adeo populi quam ipsius nobilitatis gratia factum esse. Exempla autem ex eadem ratione ducta si quis quaerat, afferam senatus consultum „ne liceret Africanos feros in Italiam advehere, quod anno 584/170 lege Aufidia antiquatum est. Eodem pertinere puto, quod P. Scipio Nasica censor statuas quas sibi quisque per ambitionem in foro posuerat, sustulit, (Aur. Vict. de vir. ill. 44 cf. Plin. 34. 6. 14) ,et quod anno 600/154, quum aedificare vellent theatrum lapideum M. Valerius Messalla et C. Cassius Longinus censores, auctore eodem Scipione omnem apparatum operis eorum subjectum hastae venire senatui placuit. (Val. Max. II. 4. 2. Cf. Vell. I. 15).

1) Macrob. III. 17.

res pervenisset. Accedebat quod illi agriculturam, quae majoribus fundamentum roboris atque incrementi civitatis videbatur, negligere et contemnere coeperant. Parva illa praedia, quae olim coloni Romani ipsi araverant, in sumptuosas villas commutabantur, ubi otium ex urbanis negotiis luxuriosa nobilitas conterebat. Neque vero ad colenda illa latifundia inopes cives adhibebant, sed his praedia sua relinquere coactis, servis qui propter continua bella vilissimo pretio emebantur, agrorum culturam mandabant [1]).

Hujus autem mali, ut Gracchorum maxime aetate tota prodiit vis et amplitudo, sic jam nunc ea apparebant initia, quae ostenderent rempublicam tot ac tantis vitiis laborantem diu integram manere non posse, nisi remedia adhiberentur. Adhibebantur quidem, sed perverso modo. Nam ut ipsi vitiorum fontes obstruerentur, omnino necesse erat legibus agrariis promulgandis atque coloniis deducendis tristissimae plebis conditioni subvenire. Quibus rebus quum et agros amissum et ab ingentibus divitiis aliquid detractum iri nobilitas intelligeret, ad ea potius refugiebat, quae per exiguum tantum tempus sistere mala, non funditus evellere valerent. Rationem inibant non bonam, sed quae bonitatis speciem prae se ferret, quippe qui legibus sumptuariis ferendis in luxuria coercenda irritam operam ponere, quam cum suo incommodo luxuriae atque ignaviae causas tollere mallent.

Verum esse, quod de nova hujus modi legum ratione diximus, multo etiam clarius ostendit lex Didia, quae Fanniam

---

1) De his omnibus vide Dureau de la Malle l. l. T. II. c. 21. Mommsen l. l. II. pag. 74.

secuta est. Audiamus modo Macrobium [1]). „Ejus ferundae duplex fuis causa: prima et potissima ut universa Italia, non sola urbs lege sumptuaria teneretur, Italicis existimantibus Fanniam legem non in se sed in solos urbanos cives esse conscriptam". Lex Oppia vero, quae optimatium solam utilitatem spectabat, sociorum Latini nominis mulieribus concessit, quae Romanis matronis ademerat.

Quod disputavimus de via, qua ad leges Fanniam et Didiam promulgandas nobilitas pervenit, hoc in primis cadere videtur in eas leges, quae post Gracchorum aetatem latae sunt. De quibus antequam agimus videtur docendum, qualis tunc fuerit reipublicae conditio. Nam illa cognita singularum legum ratio facilius poterit percipi.

Venerat tandem tempus quo malorum, quorum semina jam adesse supra exposuimus, tota prodiret vis. Nam optimates eo superbiae et insolentiae processerant, ut quo lautius viverent, aliorum sibi possessiones vindicare non recusarent; pauperiores vero eorum dominatum haud frangere valebant; omnes ad unum corrupti suum quisque emolumentum spectabant, ut vix quidquam vel voluntatis vel corporis animique virium ad patriae causam rite agendam relinqueretur. Istiusmodi autem respublica quam propre a ruina absit et nemo non facile intelliget et intellexit Scipio Aemilianus. Qui censor quum lustrum conderet, et in sacrificio scriba ex plubicis tabulis solemne ei praecationis carmen praeiret, quo dii immortales ut populi Romani res meliores amplioresque facerent, rogabantur, carmen ad hunc modum emendari jussit,

1) l. l.

„ut dii res populi Romani perpetuo incolumes servarent" [1]).

Tam corrupta partibusque dilacerata civitate Tiberius et Cajus Gracchi, in pauperiorum, quorum se fautores profitebantur, gratiam plurimas et inprimis agrarias promulgaverunt leges. Optimates vero, suum unice commodum spectantes summa ima moverunt, ne leges illae perferrentur. Itaque Tiberio interfecto, quum Cajus fratris exemplum secutus esset, eumque neque criminando neque tribunorum intercessione a proposito avertere possent, per Livium Drusum a Graccho populum avocaverunt eumque, a suis destitutum, interficiendum curaverunt. Gracchanis deinde devictis atque expulsis, optimatium factio rursus in republica dominabatur, quorum principes erant L. Opimius, M. Aemilius Scaurus, Q. Caecilius Metellus, P. Cornelius Lentulus. Scaurus tamen auctoritate omnes superabat, adeo ut haud dubitanter affirmaverim eum totius factionis principem fuisse. Primum enim auctor fuit senatui L. Opimio mandandi ut videret, ne quid respublica detrimenti caperet [2]). Deinde per multos annos senatus princeps fuit. Postremum Cicero, optimatium partium si quis alius fautor atque propugnator, summo semper honore, immo veneratione Scauri memoriam prosequitur, quippe quem virum regendae reipublicae scientissimum vocet (de Or. I. 49. 214) hominem sapientem et rectum (Brut. 29. 111). Plures locos afferre omitto ne legendi taedium lectori injiciam.

---

1) Val. Max. IV. 1. 10. Aliter Lange l. l. II pag. 323: „Wie sehr Scipio die Gefahr erkannte, die dem Staate in Folge seiner angesunden Grösse drohte, zeigte er dadurch, dass er das solemne precationis carmen beim Lustrum abänderte." 2) Vir. ill. c. 72.

Quum igitur satis constet, Scaurum omnium maxime gratia atque auctoritate floruisse atque restitutae optimatium dominationis columen ac praesidium fuisse, operae pretium videtur, in illius viri mores atque ingenium diligentius paullo inquirere; principe enim cognito, facile erit de omnibus judicium. Sallustius igitur Jug. Cap. 5. „.... Aemilius Scaurus, homo nobilis impigre factiosus, avidus potentiae, honoris, divitiarum; ceterum vitia sua callide occultans." Cujus rei Sallustius luculentum profert exemplum; sequitur enim: „Is (Scaurus) postquam vidit regis largitionem famosam inpudentemque, veritus, quod in tali re solet, ne polluta licentia invidiam accenderet, animum a consueta libidine continuit." Haec Sallustius. Quae ne cui cupidius quam verius dicta videantur, testem, quo Sallustii opinio stabiliatur, producam ipsum Ciceronem, qui (de Or. II. 70. 283) Scaurum nonnullam invidiam sibi contraxisse narrat ex eo, quod Phrygionis Pompeji, locupletis hominis bona sine testamento possedisset [1]). Hanc autem imaginem a ceteris non multum diversam fuisse, ostendunt quae Memmii rogatione in lucem prodierunt [2]).

Quae quum ita sint, non opus est quaerere, quibus remediis usi sunt optimates illi ad subveniendum pauperibus atque eruenda mala, quibus respublica vexabatur. Scilicet Gracchi leges agrariae lege Thoria irritae factae sunt; coloniae, si Narbonem exceperis, nullae deductae. At lex sumptuaria promulgata est.

---

1) Vide etiam Ep. ad fam. l. 9. 16, ubi cum Q. Metello Pio Scaurus comparatur. 2) Cf. Sallust. Jug. c. 30 seqq.

Verum enimvero ne quis putet, hanc rem unicum hujus legis fundamentum habendum esse. Nimirum hic probe tenendum est, quod in superiore capite verbo jam attigi, juxta veterem nobilitatem novum mercatorum ordinem paullatim caput extulisse, quorum commoda ab optimatium commodis toto quod ajunt caelo differrent. Longum est contentiones ex hac discordia natas singulatim omnes exponere; itaque hic Mommsenii locum attulisse satis fore putamus, ubi id agens vir clarissimus, ut ostendat qua ratione C. Gracchus in legibus suis promulgandis versatus sit, de hac re scripsit: „Die Aristokratie der Reichen, die sich wie ein Mann gegen Tib. Gracchus erhoben hatte, bestand in der That aus zwei ungleichen Massen, die man einigermassen der Lords- und der City-aristokratie Englands vergleichen kann. Die eine umfasste den thatsächlich geschlossenen Kreis der regierenden senatorischen Familien.... Den Kern der zweiten Klasse bildeten die Speculanten.... Dieser Stand der Ritter, das heisst wesentlich der vermögenden Kaufleute, berührte vielfältig sich unsanft mit dem regierenden Senat. Es war eine natürliche Antipathie zwisschen den vornehmen Adlichen und den Männern, denen mit dem Gelde der Rang gekommen war" [1]).

C. Gracchi autem opera factum est, ut senatores atque equites, jam antea sibi inter se invidentes atque insidiantes, eo se invicem prosequerentur odio [2]), ut numquam quieturi vide-

1) l. l. II. pag. 108.

2) Cujus equidem rei luculentissimum exemplum puto judicium Rutilianum. Cf. Dio Cass. fragm. 97 (Dindorf): „ὅτι τοῦ Ῥουτιλίου ἀγαθοῦ ὄντος ἀνδρὸς

rentur, nisi altera pars plane victor discederet e certamine, altera ita depressa jaceret, ut sese movere et respirare non posset. Nam Gracchus, quo melius conatus suos consequeretur, runas et sicas in forum projecit, quibus cives inter se digladiarentur [1]).

In rerum autem natura positum est, eos ante omnes luxuriae deditos esse, qui mercatura sibi divitias comparaverint, praesertim si, ut inter Romanos olim equites, in illis congerendis ea plerumque valeat ratio, quae ab honestate saepius remota est. Senatores igitur id vel maxime egerunt, ut equites opibus et divitiis praefulgentes, quibus multo facilius quam ipsi gratiam popularem sibi conciliare possent, tamquam metuendos potentiae suae aemulos, reprimerent atque a republica removerent. Haud inepte autem statui potest, legem Aemiliam ex eodem studio profectam esse [2]). Hujusmodi autem cogitationes ut jam apud Catonem fortasse in luxuria coercenda valuerunt, sic manifesto apparent in censura Tib. Sempronii Gracchi et C. Claudii Pulchri (anno

---

ἀδικώτατα κατεψηφίσαντο (equites). ἐσήχθη γὰρ ἐς δικαστήριον ἐκ κατασκευασμοῦ τῶν ἱππέων ὡς δωροδοκήσας Κυίντῳ Μουκίῳ, καὶ ἐζημιώθη ὑπ' αὐτῶν χρήμασιν. ταῦτα ἐποίησαν θυμῷ φέροντες ὅτι πολλὰ περὶ τὰς τελωνίας πλημμελοῦντας ἐπέσχεν." De equitum in senatores odio vide Cic. pro Planc. XIII. 33. „Equitum ego Romanorum in homines nobilissimos maledicta, publicanorum in Q. Scaevolum, virum omnibus ingenio, justitia, integritate praestantem, aspere et ferociter et libere dicta commemorem?"

1) Cic. de legg. III. 9. 20.

2) Cf. Roscher, Die Grundlagen der National-Oeconomie. Buch II. Kap. 2 § 235 pag. 452: „Bei den meisten Völkern beginnt die Luxuspolizei in der Uebergangszeit aus der Erste in die Zweite Periode.... In dieser Periode tritt gewöhnlich das Aufblühen des Bürgerstandes und der Verfall der ritterlichen Aristokratie ein. Die höheren Stände sehen ungerne, wenn die niederen es an aüsserem Glanze ihnen gleichthun."

585/169). Audiamus modo Livium: „In equitibus censendis tristis admodum atque aspera censura fuit: multis equos ademerunt" [1]).

Aemiliam legem secuta est Licinia, quam tulit P. Licinius Crassus Dives. De anno autem quo eam tulerit, magnam inter viros doctos controversiam natam esse, supra jam monui. Reliquum est ut hic argumentis opinionem meam supra propositam comprobem, hanc legem non incidere in annum 643/111, quo anno tribunatu plebis Crassus functus est, sed ab eo in praetura latam esse.

Primum paullo ante lex Aemilia lata est: verisimile autem esse non puto, duas leges tam parvo intervallo promulgatas esse, quum praesertim affirmet Macrobius novam legem exolescente metu antiquioris quaesitam esse. Alterum hoc est, quod annus 643/111 non valde prosper fuit optimatium factioni, quippe quo anno lex Memmia perlata sit. Optimatium autem studiis effectum esse, ut lex Licinia perlata sit, diserte affirmat Macrobius et efficere licet ex oratione, qua Duronius abrogationem ejus suasit: „Freni sunt injecti vobis Quirites, nullo modo perpetiendi; alligati et constricti estis amaro vinculo servitutis; lex enim lata est, quae vos frugi esse jubet. Abrogemus igitur istud horridae vetustatis rubigine obsitum imperium. Etenim quid opus libertate, si volentibus luxu perire non licet?" Itaque rationibus subductis, propius ni fallor, ad verum accedet, qui Crasso praetori hanc legem adscribat, quippe cui nihil aperte contradicat, suffragatur fortasse Suetonius, qui in vita Augusti c. 89 eodem fere tempore P.

1) XLIII. 16.

Rutilium Rufum orationem habuisse narrat de modo aedificiorum [1]).

Quod jam saepius dixi, proprium esse nobilitatis dominantis, ut leges contra luxuriam promulget, hoc omnium maxime Sullae exemplo confirmari videtur. Qui quidem nihil habebat antiquius, quam ut populi potentiam infringeret, auctoritatem contra atque dignitatem optimatium quantum maxime posset augeret et amplificaret [2]). Itaque senatorum numerum, intestinis bellis ad miram paucitatem redactum, supplevit ac, ne qua lex nobilitati nocitura rata haberetur, statuit ne quid ad populum nisi ex auctoritate senatus ferretur. Magistratus quoque ita coercuit atque cohibuit, ut a senatu toti penderent. Tribuniciam potestatem, omnium maxime nobilitati perniciosam, ita imminuit atque circumcidit, ut imaginem sine re relinqueret.

Hisce omnibus quum optimatium potentiam stabiliisset, inter cetera, quibus actis suis diuturnitatem conciliaret, etiam fecit legem sumptuariam. Quae quum igitur, ut Ciceronis verbis utar, non hominis sed temporis lex esse videatur, tamen a me impetrare non possum, quin credam Sullam quoque, pro illo odio, quod habuit in equestrem ordinem, in ea ferenda

---

1) Cf. Lange III. 71. „Der Umstand das P. Rutilius Rufus als Consul 649/105 eine Rede de modo aedificiorum hielt, deutet darauf hin, dass damals Schritte zur Verminderung des Aufwands wie bei Bauten, so auch bei Gastmählern an der Tagesordnung waren."

2) Cf. Wittich (de Reipubl. Rom. ea forma, qua L. Corn. Sulla rem Roman. commutavit) pag. 124: „Senatum per plebem superbientem, per tribunos plebis impudentissimos et insolentissimos ad inferiorem omnino depressum conditionem adduxit ad laetiorem, eique eam conciliavit auctoritatem, qua ad secundum usque exornatus erat Punicum bellum."

etiam id sibi voluisse, ut equites vexaret. Sulla enim, si quis alius, praeclare intellexit, ut imperii gubernacula senatui restitueret, nihil magis sibi curae esse debere, quam ut equitum licentiam infringeret. Sic etiam judicia, equestris ordinis potentiae fontem atque originem, senatui restituit et Asiam provinciam ita ordinavit ut, nullus in ea publicanis locus esset.

Ultima legum, quae quidem libera republica lata sunt, Antia est, de qua, praeter Gellii et Macrobii locos, nulla omnino apud veteres scriptores memoria exstat, ut neque de Antio latore neque de tempore, quo lata sit, quidquam accuratius possit constitui. In tanta caligine una opinor ratio sana est eorum, quos ignorantiam profiteri non pudet.

THESES.

THESES.

I.

Hom. Il. VIII. 19 seqq.

σειρὴν χρυσείην ἐξ οὐρανόθεν κρεμάσαντες
πάντες δ᾽ ἐξάπτεσθε θεοὶ πᾶσαί τε θέαιναι·
ἀλλ᾽ οὐκ ἂν ϝερύσαιτ᾽ [ἐξ οὐρανόθεν πεδίονδε
Ζῆν᾽, ὕπατον μήστωρ᾽,] οὐδ᾽ εἰ μάλα πολλὰ κάμοιτε.
ἀλλ᾽ ὅτε δὴ καὶ ἐγὼ πρόφρων ἐθέλοιμι ϝερύσσαι,
αὐτῇ κεν γαίῃ ϝερύσαιμ᾽ αὐτῇ τε θαλάσσῃ.

Expellenda sunt, quae uncis inclusi.

II.

Ibid. XVIII. 361 seqq.

„αἰνότατε Κρονίδη, ποῖον τὸν μῦθον ἔϝειπες.
καὶ μὴν δή πού τις μέλλει βροτὸς ἀνδρὶ τελέσσαι,
ὅσπερ θνητός τ᾽ ἐστὶ καὶ οὐ τόσα μήδεα ϝοῖδεν·

πῶς δὴ ἔγωγ', ἥ Φημι θεάων ἔμμεν ἀρίστη,
ἀμΦότερον, γενεῇ τε καὶ οὕνεκα σὴ παράκοιτις
[κέκλημαι, σὺ δὲ πᾶσι μετ' ἀθανάτοισι ϝανάσσεις],
οὐκ ὄΦελον Τρώεσσι κοτεσσαμένη κακὰ ῥάψαι;"

Vers. 362 pro *βροτός* lege *κότον* et expunge vers. 366.

III.

a.

Hom. Odyss. XXI. 142

ἀρξάμενοι τοῦ χώρου ὅθεν τέ περ οἰνοχοεύει.

Legendum *ὅθεν περ ἐϝοινοχοεύει.*

b.

Ibid. XXIV. 279

τέσσαρας εἰδαλίμας, ἃς ἤθελεν αὐτὸς ἑλέσθαι.

Lege *ϝεϊδαλίμας πίσυρας, κ. τ. λ.*

IV.

a.

Herod. III. 12.

σκιητροΦέουσι ἐξ ἀρχῆς πίλους τιήρας ΦορέοντεςΦ.

Ejiciatur verbum *πίλους.*

b.

Ibid. 65

καὶ δὴ ὑμῖν τάδε ἐπισκήπτω.... μὴ περιιδεῖν τὴν ἡγεμονίην αὖτις ἐς Μήδους περιελθοῦσαν, ἀλλ' εἴτε δόλῳ ἔχουσι αὐτὴν κτησάμενοι, δόλῳ ἀπαιρεθῆναι ὑπὸ ὑμέων, εἴτε καὶ σθενεϊ τεῳ κατεργασάμενοι, σθενεϊ κατὰ τὸ καρτερὸν ἀνασώσασθαι.

Alterum *σθενεϊ* pro glossemate habendum est.

c.

Ibid. 112.

τῶν γὰρ αἰγῶν τῶν τράγων ἐν τοῖσι πώγωσι εὑρίσκεται κ. τ. λ.

Verba *τῶν τράγων* addita videntur a magistello, qui ostendere vellet quid essent *αἶγες*.

d.

Ibid. VII. 10. *η*.

σὺ δέ, ὦ παῖ Γοβρύεω Μαρδόνιε, κ. τ. λ.

Verbum *Μαρδόνιε* pro docti cujusdam annotatione est habendum.

V.

a.

Thuc. I. 21. 2. (Herw.)

καὶ ὁ πόλεμος οὗτος, καίπερ τῶν ἀνθρώπων ἐν ᾧ μὲν ἂν πολεμῶσι τὸν παρόντα ἀεὶ μέγιστον κρινόντων, παυσαμένων δὲ τἀρχαῖα μᾶλλον θαυμαζόντων, ἀπ' αὐτῶν τῶν ἔργων σκοποῦσι δηλώσει ὅμως μείζων γεγενημένος αὐτῶν.

Expunge *τὸν παρόντα*.

b.

Ibid. 36. 3.

τρία μὲν ὄντα λόγου ἄξια ἴστε Ἕλλησι ναυτικά, τὸ παρ' ὑμῖν καὶ τὸ ἡμέτερον καὶ τὸ Κορινθίων, τούτων δ' εἰ περιόψεσθε τὰ δύο ἐς ταὐτὸν ἐλθεῖν [καὶ Κορίνθιοι ἡμᾶς προκαταλήψονται], Κορκυραίοις τε καὶ Πελοποννησίοις ἅμα ναυμαχήσετε.

Verba uncis inclusa ejicienda sunt.

VI.

Ibid. I. 67. 3.

οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι προσπαρακαλέσαντες τῶν συμμάχων καὶ εἴ τίς τι ἄλλο ἔφη ἠδικῆσθαι ὑπ' Ἀθηναίων, κ. τ. λ.

Legendum *εἴ καὶ ἄλλος τίς τι ἔφη*.

VII.

Aristoph. Plut. vers. 838 seqq.

ΚΑΡ. *καὶ κατεγέλων δ' εὖ οἶδ' ὅτι.* ΔΙΚ. *κομιδῇ μὲν οὖν.*
ΚΑΡ. *αὐχμὸς γὰρ ὢν τῶν σκευαρίων σ' ἀπώλεσεν.*

Lege:

ΔΙΚ. *κομιδῇ μὲν οὖν.*
αὐχμὸς γὰρ ἐμῶν τῶν σκευαρίων μ' ἀπώλεσεν.

VIII.

Ibid. vers. 896 seqq.

ΚΑΡ. *κακόδαιμον ὀσφραίνει τι;* ΔΙΚ. *τοῦ ψύχους γ' ἴσως*
ἐπεὶ τοιοῦτον γ' ἀμπέχεται τριβώνιον.

Lege:

ΚΑΡ. *κακόδαιμον κ. τ. λ.* ΔΙΚ. *τοῦ ψύχους γ' ἴσως*
ἐπεὶ τοιόνδ' ἀμφέξεται τριβώνιον.

IX.

Xenoph. Anab. I. 4. 14.

Ἄνδρες, ἐὰν μοι πίθησθε, οὔτε κινδυνεύσαντες οὔτε πονήσαντες τῶν ἄλλων πλέον προτιμήσεσθε στρατιωτῶν ὑπὸ Κύρου.

Legendum censeo: *οὔτε κινδυνεύσαντες οὔτε πονήσαντες τῶν ἄλλων πλέον, προτιμήσεσθε ὑπὸ Κύρου.*

X.

a.

Ibid. 9. 27.

ὅπου δὲ χιλὸς σπάνιος πάνυ εἴη, αὐτὸς δ' ἐδύνατο παρασκευά-

σασθαι.... διαπέμπων ἐκέλευε τοὺς φίλους τοῖς τὰ ἑαυτῶν σώματα ἄγουσιν ἵπποις ἐμβάλλειν τοῦτον τὸν χιλόν.

Ejiciantur ultima tria verba.

b.

Ibid. IV. 2. 14.

ἔτι δ' αὐτοῖς τρίτος μαστὸς λοιπὸς ἦν πολὺ ὀρθιώτατος ὁ ὑπὲρ τῆς ἐπὶ τῷ πυρὶ καταληφθείσης φυλακῆς [τῆς νυκτὸς ὑπὸ τῶν ἐθελοντῶν].

Expungenda, quae uncis inclusi.

c.

Ibid. 6. 4.

μετὰ τοῦτο ἐπορεύθησαν ἑπτὰ σταθμοὺς ἀνὰ πέντε παρασάγγας τῆς ἡμέρας παρὰ τὸν Φᾶσιν ποταμόν.

Delenda sunt verba *τῆς ἡμέρας*.

XI.

Plato, Phaed. 59. E.

καὶ ἡμῖν ἐξελθὼν ὁ θυρωρὸς [ὅσπερ εἰώθει ὑπακούειν], εἶπε περιμένειν.

Expellantur verba uncis inclusa.

XII.

Cic. pro Cluent. 13, 36, editur ex codd.

Fuit Avillius quidam L a r i n o, perdita nequitia et summa egestate, arte quadam praeditus ad libidines adulescentulorum excitandas accommodata cet.

Legendum est: L a r i n i, h o m o.

XIII.

Liv. XXI. 57. 1.

Romam tantus terror ex hac clade perlatus est, ut jam ad urbem Romanam crederent infestis signis hostem venturum.

Delendum est verbum *Romanam*.

XIV.

Liv. XXIV. 18. 2.

Censores vacui ab operum locandorum cura propter inopiam aerarii, ad mores hominum regendos animum adverterunt, castigandaque vitia, *quae, velut diutinis morbis aegra corpora ex sese gignunt*, eo nata bello erant.

Post verbum *morbis* inserendum est *aegri*.

XV.

Ovid. Met. XIII. 77 seqq.

Si perstas certare, locum redeamus in illum:
Redde hostem vulnusque tuum solitumque timorem
Post clypeumque late et mecum contende sub illo.
At postquam eripui, cui standi vulnera vires,
Non dederant, nullo tardatus vulnere fugit.

Versus 80, 81 ante 77 transponendi sunt.

XVI.

Senec. de Clement. VI. 7.

Constituamus nunc quoque quid sit venia, ut sciamus dari illam a sapienti non debere. Venia est poenae meritae remis-

sio. Hanc sapiens quare non debeat dare, reddunt rationem diutius, quibus hoc est propositum. Ego ut breviter tanquam in alieno judicio dicam cet.

Pro reddunt diutius legendum est reddant disertius.

XVII.

Tac. Ann. VI. 49.

Igitur accusata in senatu, quamquam genua patrum advolveretur, luctumque communem et magis inbecillum tali super casu feminarum animum aliaque in eundem dolorem moesta et miseranda diu ferret, urbe tamen cet.

Pro diu ferret legendum est diu fleret.

XVIII.

Ibid. XI. 14. legitur in codd.

Quo exemplo Claudius tres literas adjecit, quae usui imperitante eo, post obliteratae, aspiciuntur etiam nunc in aere publico dis plebiscitis per fora ac templa fixo.

Legatur cum Madvig (Adv. Crit. II. pag. 550) in aere publicandis plebi iis.

XIX.

Ibid. XIII. 31.

Vectigal quoque quintae et vicesimae venalium mancipiorum remissum, specie magis quam vi, quia cum venditor pendere juberetur, in partem pretii emptoribus accrescebat.

Legendum est specie magis quam re.

XX.

Ibid. XIV. 15.

Dabanturque stipes, quas boni necessitate, intemperantes gloria consumerent.

Pro gloria scribendum gula.

XXI.

Ibid. XIV. 19.

Sequuntur virorum illustrium mortes, Domitii Afri et M. Servilii, qui summis honoribus et multa eloquentia viguerant, ille orando causas, Servilius diu foro, mox tradendis rebus Romanis celebris et elegantia vitae; quam clariorem effecit, ut par ingenio, ita morum diversus.

Pro clariorem legatur hilariorem.

XXII.

Macrob. Sat. III. 17. 9.

Sed leges Liciniae summa, ut Kalendis Nonis Nundinis Romanis cuique in dies singulos triginta dumtaxit asses edundi causa consumere liceret, ceteris vero diebus [qui excepti non essent] ne amplius daretur cet.

Expungenda sunt verba uncis inclusa.

XXIII.

De uitdrukking partes secanto in de XII tafelen, (T. III. 6, Bruns) moet in letterlijken zin worden opgevat.

XXIV.

Ten onrechte meent Puchta (Klein. Civ. Schrift pag. 43) dat in de uitdrukking der XII tafelen *usus anctoritas* (T. VI. 3, Bruns) de woorden usus en auctoritas met elkaar verbonden zijn „zu gleicher Wirksamkeit, also ohne Erhebung des einen über das andere", zoodat uit deze verbinding een nieuw begrip ontstaat, „dessen Quelle sie sind, und an dessen Entstehung beide gleichen Antheil haben."

XXV.

Ten onrechte brengt Mommsen (Ephem. Epigr. III. pag. 110) de woorden *si quis in eo vim faciet* der lex Coloniae Juliae Genetivae (Bruns Font. Jur. Ant. pag. 111) in verband met de uitdrukking *si quis endo eo in jure vindicit* der XII tafelen. (T. III. 3, Bruns).

XXVI.

Het oudste tractaat van Rome met Carthago bewijst nog niet, dat in den tijd, waarin dit gesloten is, te Rome reeds een uitgebreid handelsverkeer bestond.

LUGD.-BAT., TYPIS: L. VAN NIFTERIK HZ.